







1
2.
3
4
5
6
7
8



1747. 1. Rechenberg, Carl Otto, Collegii juris et seniori :
 Programma, quo ad Dr. Josephi B. Ackermannii . . . memoriam
 . . . celebrantem inscribitur.
2. Rechenberg, Carl Otto, Collegii juris et seniori :
 Programma, quo . . . Christiano Ludovico Hieg-
 elzio . . . honores in jure summos . . .
 collatos inscribitur.
3. Aland, Georgius Wenzel : De statu hominum apud veteres
 Germanos. Disquisitio II.
4. Bauerus, Joann. Gottfridus, fac-jur. pro-cancellarius :
 Programma, quo summos in utraque jure honores . . . ab
 hunc Gottlob Wincklero . . . conferendos inscribitur.
5. Ingel, Mauritius Aephus : De syndicato et ejus valide
 renunciatione.
6. Hausotter, Carlus Henr. : De suspecta Flori fide.
7. Hommelius, Ferdinandus Augustus, fac-jur. pro-cancellarius
 vici : Programma, quo solemnem inaugurationem Mauriti
 Adolphi Ingelii . . . inscribitur.
8. Hommelius, Ferdinandus Augustus : De furto magis ejusque
 poena.

1747.

9. Kæstner, Abraham : De apibus eorumque fortibus capitaliter punitis² simulque collegia aethia intimat
10. Kæstner, Abraham : De pœnæ mutatione a principe et magistratû merum imperium habente² simulque collegia hyberna intimat. 15
11. Kæstnerus, Abrahamus : De evronca doctorum opinione per locationem ad longum tempus factam utile transferenda² diminuit. 16
12. Kæstner, Abraham Gottlieb : De justitia calculi inter usurii Libnitiani² simulque prælectio² nec sua indicit. 18
13. Kappius, Joannes Erhardus : De procancelleis facultatis philosophicæ Lipsiensis Programma, quo ad remunerationem magistrorum (Christiani Gopp. Melch. vii seq. ij) invitatur. 19
14. Kappius, Joannes Erhardus : Utrum signum palmæ tumulis Christianorum adjectum certum 20

marlyrii sit signum, nec ne? Programma,
quo ad orationem memoriae Joannis Christiani
Geini sacrum . . . invitab.

15. Munden, Godofredus Ludovicus: De jure accrescendi
vendita hereditate ad emptorem pertinente

16. Munden, Godofredus Ludovicus: De actione Pauliana.

17. Munden, Godofredus Ludovicus: De praesumptio-
nibus juris et de jure contrarii probatio-
nem admittentibus.

18. Pauli, Martinus Gualterus: De theorica et practica
juridical discordia.

19. Plazius, Antonius Gualterus: De mendicis
affectatae incommunis.

20. Rechenberg, facult. jurid. procurcellarius: Programma,
quo Martini Gualteri Pauli . . . summos in jure
honores . . . indicit.

21. Richterius, Joannes Tobias: De impossibili conditione
contractum non vitiantem.

1777.

22. Richterius, Ioannes Tobias: Selectiora juris principia.
23. Richterius, Io. Tobias: Selectiora juris principia.
24. Rivinius, Ioannes Florens, l. b. s. p. d.: Programmata quo Disputationes publicae iuridicae.
25. Rivinius, Io. Florens, fac. iur. Secanus: Programmata, quo solemnitas inaugurationis Georgii Christophori Beyers indicit.
- 26^{ae} Stieglitzius, Christianus Frid: De internationalium actionum malis periculis.
27. Stieglitz, Christianus Ludovicus: De iuribus et actibus nobis per di. titulo concessis.
28. Winckler, Abram Gottlob: De selectis studiis in iure publico imperii Romano-Germanici. Vop. I.

Vol. 78. n. 56.

3452.

17502

1747, 18.

DISSERTATIO INAUGURALIS
 IURIDICA
 DE THEORIAE
 ET
 PRAXIS IURIDICAE
 DISCORDIA

QVAM
 ILLVSTRIS IURISCONSULTORVM
 ORDINIS AVCTORITATE
 PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
 OBTINENDIS

LIPSIÆ D. XXXI. AVG. A. C. N. CIOIDCCXXXVII.

ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

M. MARTINVS GOTTLIEB PAVLI

L. AVE. LVSAT.

LIPSIÆ

EXCVDEBAT I. G. I. BREITKOPF.



PROBATIONIS

DE

D. O. M. I. N. O.

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI

CHRISTOPHORO PAVLI



V I R O
PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO, IVRISCONSVLTISSIMO
PRVDENTISSIMO

D O M I N O
CHRISTOPHORO PAVLI

CIVITATIS, QVAE LAVBAE FLORET
CONSVLI SENIORI

DE RE COMMVNI OPTIME MERITO
PATRI SVMMO PIETATIS CVLTV DEVENERANDO
QVALEM CVNQVE HANC OPELLAM

D. D. D.

FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS
M. MARTINVS GOTTLIEB PAVLI.



VIR PRAENOBILISSIME,
AMPLISSIME, IVRISCONSVLTISSIME,
PRVDENTISSIME,
PARENS SVMMA PIETATE
COLENDE,



et us et omnibus forsitan disciplinis commune est vitium, theoriam non exacte ubique respondere praxi. Queruntur hac de re Theologi, Medici, Philosophi, queruntur etiam Iurisconsulti, adferentes, inter ceteras salebrarum causas, quae iurisprudentiam nostram reddunt impeditam, eminere discordiam illam theoriae et praxis iuridicae perniciosam. Haec nimia utriusque differentia, si praxis iuridica in culpa esset, multo tolerabilior esset, fortassis etiam multo faciliori modo remoueri posset. At enim vero ipsam theoriam nostram huius vitii arguunt Iurisconsulti praestantissimi. Id quod, quum dignitati artis nostrae adeo insensum et contrarium sit: ut, si qua possem ratione, remouerem, diu mecum cogitavi, omnia.

omniaque, quae vel certa vel probabili tantum ratione ad infringendam hanc sententiam adduci possunt legi et expendi diligenter, sed, ut verum fatear, tantum abest, ut ea deprehenderit, quibus sententia ista infringi posset; ut potius ipse profiteri necesse habeam, causam differentiae istius nimiae inter theoriam et praxin iuridicam fortassis primariam esse ipsam nostram iuris theoriam eiusque conditionem. Prolixius hanc sententiam praesenti hac prosequutus sum dissertatione inaugurali iuridica, quam dum publici iuris facio, quid aequius est, quam ut, quod iam pridem TIBI debeo officium, VENERANDE PARENS, publico quodam monimento testarer. In TVAM peccarem modestiam, VIR AMPLISSIME, si longo sermone, quae me ad hoc compellunt officium, enumerare vellem causas. Nil itaque harum omnium addo, nisi quod in TE Optimum venerer Parentem et talem, qualem ne mente quidem meliorem concipere aut fingere possum, Qui me ubique vere paterno amore prosequutus est, et Cui praeter Deum T.O. M. vel soli acceptum fero, quod, quem intendi praeclara TVA in me merita semper quidem maximi feci, hucusque vero nullam nactus sum occasionem, qua animum erga TE meum certe gratissimum ad posteros publice testatum facere potuissem. Quae itaque hodie se mihi offert occasio laetus arripio, TVOQUE VENERANDO NOMINI dissertationem hanc meam ex veteri quidem et consueta formula, sed mente revera pia, deuota et integerrima DO DICO CONSECRO. Suscipe igitur tenue hoc aridaque ut dicitur pumice expolitum munusculum ea benevolentia paterna, qua me semper dignum habuisti, TIBI vero certo persuade, quum beneficiis TVIS me iam pridem TIBI totum obstrinxeris, et etiamnum nihil, quod ad me ornandum pertinere videatur praetermittas; me gratias, quas
TIBI

TIBI debeo maximas, munusculo hoc chartaceo nequaquam ex-
soluere prorsus velle. Satis perspicio TVA quanta sint in me
merita, proinde munusculo hoc nonnisi monumentum aliquod, ut ut
leuissimum, venerationis in TE meae statuere volo. Quod reli-
quum est, largissima manu remunerabit summus omnium rerum
arbiter Deus T. O. M. Quem pro TVA aequae ac VENE-
RANDAE MATRIS meae salute ardentissimis quotidie adeo
precibus atque submisso rogo, ut TE EAMQUE QVAM
MATREM VENEROR, quam diutissime seruet incolumes,
felicis, sospites. Vale, VIR PRVDENTISSIME,
TVVMQUE, qui laetus proxime instat diem natalem non hac
tantum vice, sed iterum etiam iterumque prospere et feliciter cele-
bra. Vale et quo Fauore paterno hucusque me dignum censuisti,
eo nec in posterum indignum iudica, faue

VIR PRAENOBILISSIME,
AMPLISSIME, IVRISCONSULTISSIME,
PRVDENTISSIME,
PATER SVMMO PIETATIS
CVLTV DEVENERANDE,

TVO

Lipsiae
d. xxxi. mensis Augusti
A. R. S.
c1910ccccxxvii.

obsequiosissimo filio
M. MARTINO GOTTLIEB PAVLI.



§. I.

Theoriae et Praxis brevis explicatio.



uas Theoria et Praxis, de quarum nimia apud ICTos discordia has publici speciminis loco publicae eruditorum disquisitioni submitto meditationes, habeant origines, vt vel e quouis istae disci queunt vocabulario; ita cognitu etiam haud adeo difficiles esse, si vel dissimulauerim, ex ipso harum vocum habitu linguaeue latinae natura intelligerent omnes. Itaque hanc ex officina etymologica defuntam disquisitionem lubens intactam relinquo, existimans quippe, nimia esse omnia, quae intellectu sunt facillima, et inutilia, vnde lucrum tam exiguum redundet. Ad significationem igitur theoriae et praxis, relictis earum originibus, accedo. Quemadmodum vero dictarum vocum origines non valde reconditae, ita vtriusque etiam significatio innotescit simul ac illas in mentem reuocemus. Theoria, vi vocis et in sua, vt dicitur, natiua significatione idem est, ac contemplatio, meditatio, speculatio, reflexio aut consideratio. Iam vero, quis nescit, quid sit theoria, quum e scholis philosophorum clarum perspectumque sit, reflexionem et contemplationem et reliqua theoriae synonyma continuatam et ad alias aliasque rei partes directam denotare attentionem. Hoc theoriae vocabulum eiusque vsus, postquam homo distincte ratiocinari et singula iudicia iusto ordine formare didicit, transit ad scholas eruditorum, et euasit, vt dicitur, terminus technicus, ita tamen, vt natiuam suam signifi-

cationem, nisi retinuerit prorsus, parum tamen nihilum immutauerit. Scilicet, ut antea quaeuis super quacunque re quocunque modo facta meditatio theoria siue contemplatio dicebatur: ita postea philosophi, in rerum naturas originesque inquirentes omniaque iusto et adaequato ordine perpendentes, non modo has suas meditationes, verum etiam vnus cuiusque disciplinae praecepta, confusa antea et incognita, sagaci vero meditatione iam eruta ordinateque disposita, quo alii in ediscendis scientiis eo facilius feliciusque progredi possent, huius illiusue scientiae aut disciplinae theoriam, nec inique, dixerunt. Ita e. g. Cicero libr. 12. Epist. ad Attic. ep. 6. *Te istam tam tenuem θεωρίαν*, i. e. praecepta de re tam tenui, quemadmodum interpretatur haec verba Vir Excell. Ioan. Aug. Ernesti in indice Ciceroniano Graeco sub voce *θεωρία*, *tam valde admiratum esse gaudeo*. Atque haec theoriae notio, qualem formarunt eruditi, postquam in suas hoc vocabulum receperunt scholas, huius est loci, ut igitur sub theoriae vocabulo praecepta scientiarum solerti eruditorum meditatione eruta ordinateque disposita intelligamus. Ut haec, quae de theoriae significatione diximus, haud adeo difficilia sunt, ita simili etiam ratione cum praxis vocabulo eiusque notione comparatum est. Quodsi enim originem huius vocabuli respiciamus, quae non nisi Graecarum litterarum prorsus experti ignota et obscura esse potest: quilibet intelligit, praxin apud Graecos idem significare, quod apud Romanos factum. Nec mutata est haec huius vocabuli notio, quamuis eruditi ut theoriae ita et praxis vocabulum in suas receperint scholas. Designant nimirum sub hac voce applicationem earum doctrinarum, quas vel ex praeceptis aliorum vel etiam propria meditatione, adeoque ex theoria disciplinarum percepimus, in nostros aliorumque vsus. Haec in genere quidem de theoriae et praxis significatione, sed ita, uti spero, dicta sunt, ut vnusquisque ex dictis his facile colligere queat, quid sit theoria, quid praxis iuridica. Qua propter haud opus esse credo, ut haec prolixè interpreter.

§. 2.

De nexu, qui intercedit inter theoriam et praxin scientiarum, imprimis Iurisprudentiae.

Iam quaeritur, qualis sit nexu, quale vinculum inter vtramque, theoriam scilicet et praxin disciplinarum speciatim vero iuris prudentiae? Videtur forsitan haec quaestio et facillima, et, si ea, quae antecedente §. propo-

propofui, in mentem reuoceamus fuperflua omnino eſſe. Quoties enim vtriuſque vocabuli, de cuius nexu quaerimus, ſignificationem probe perpendimus, quis quaefo tam hebes eſt, qui non ſtatim perſpiciat, vniuſcuſque ſcientiae theoriam et praxin tam arcto coniunctas eſſe debere nexu et vinculo, vt ſuauiſſime et exactiſſime conſpirent, mutuaſque ſibi dent manus. Theoria, quaeſcunq; demum ſupponamus ſcientiam, omnem illius ſcientiae tradere debet doctrinam, iuſtis, euidentibus primisque, quantum fieri poteſt, et ex natura rei p̄titiſ principiiſ rite poſitiſ, vltierius aſcendit, et ex iis alias deducit veritates, quibus alias ſuper alias ſuperſtruit; vſque dum huius illiuſue diſciplinæ ambitus, quantum nobis datum eſt, exhaustuſ eſt. Quod poſteaquam factum: tunc accedit praxis, et haec doctrinaſ in vſuſ ſuoſ conuertit, et, ſi vera et genuina eſt, ab iis non tantum non aberrare, ſed potiuſ eaſ exactiſſime ſequi debet. Hic nexus, hoc arctiſſimum theoriam inter et praxin vinculum ſanae rationi non modo eſt conuenientiſſimum, ſed, ni fallor, ex ipſa etiam harum vocum natura grammatica conſtat. Haec ita, vt dixi reiſque naturae conuenit, ſi eſſent: quaefio, quam ſupra de theoriae et praxiſ diſciplinaruſ nexu propoſui, omnino proſuſ eſſet ſuperflua, nec certe ego quaefuiſſem, niſi theoriam et praxin, non dicam omnium ſcientiarum, ne nimis arroganter de me ſentire videar, quaſi omnium diſciplinaruſ fata in comperto haberem, certe plurimarum in contrarium ſcindi animaduertentem, animaduertentemque omneſ, qui ſcientiarum viciffitudineſ et fata oculo paullulum curioſo et attento perluftrant. Haec vt probem, non opus eſt, vt argumenta e longinquo petita accerſam. Ipſa experientia omnium rerum optima magiſtra, de veritate huius diſſidii noſ omnium optime conuincit, et ne conuinceret, ni etiam ego optarem, optarent certe omneſ, qui quanta emolumenta ex ſororio theoriae et praxiſ diſciplinaruſ vinculo, quanta e contrario damna ex diſcordia earum in rem publicam redundant, perſpiciunt. Adeamus Theologoſ, Medicoſ, et Philoſophoſ, quaeram illoſ ipſoſ, qualis inter theoriam et praxin diſciplinæ, quam profitentur, ſit nexus, quale vinculum. Habemus vbiſque, quod de diſcordia conquerantur, quod de concordia glorientur, haud ita facile inueniemuſ. Vt vero de theologia, medicina et philoſophia nil ampliuſ dicam, ne in alienam meſſem ſalcem immittam meam: ad Iuriſprudentiam noſtram accedo, cuiuſ theoriam et praxiſ, tantum abeſt, vt ſororio vinculo cohaereant, vt ſuauiſſime conſpirent, vt mutuaſ ſibi dent manuſ; vt potiuſ ſibi quam maxime contrariantur, vt hic diſſenſuſ proverbium aliaſ veriſſimum, *Bonus theoreticuſ bonus ſimul eſt practicuſ*, non ſine maximo iuriſprudentiae detrimento

mento inuenterit ita, *Raro bonus theoreticus bonus simul est practicus, aut etiam Optimi saepissime practici pessimi sunt theoretici*, quum tamen sine theoria praxis iuridica nil aliud sit, nisi scientia formularia et rabulistica, theoria vero sine praxi ideam, quod corpus sine anima. Quenam vero huius dissidii est causa? Quaecumque demum illa sit; necesse est, theoriam iuris nostri non respondere praxi et vitium omne latere aut in hac aut in illa. Theoria si in culpa est: ea ut fit ad modum imperfecta, ut multa in ea adhuc desiderentur, necesse est. Quando vero vitium in praxi latet, si haec errat: fit hoc aut ex ignorantia practicum, quod scilicet nesciant, quid in iure obseruari debeat, aut ideo errant, quod variam in theoria, inter leges et iura deprehendant diuersitatem, immo et contrarietatem. Quemadmodum vero perquam iniurius essem in practicos, si omnes in vniuersum ignorantiae iuris accusarem: ita necesse est, dum errant practici, id ideo fieri saepissime, quod leges et iura sibi non consent, quod differant inter se, immo sibi haud raro contrarientur. Hinc necessario iam sequitur, differentiae istius nimiae et perniciosae inter theoriam et praxin iuridicam causam esse ipsius iuris nostri theoriam. Quod, ut eo certius constet; ipsa iurisprudentiae, qua in foris Germaniae utimur, conditio, iuris nostri theoria cum ratione, qua ea in Academicis nostris et doceri et disci consuevit accuratius paullo inspicienda et expendenda est, quo facto plenissime sine dubio elucebit, theoria nostra an sit in culpa, nec ne, quae sint ista vitia, quibus laborat, quae sint remedia quibus haec differentia nimia omnium optime tolli potest.

§. 3.

*Iurisprudentiae, qua in foris Germaniae
utimur brevis descriptio historica.*

Quanto tardius Germani veteres aliquem habuerunt litterarum et scripturae vsum, tanto antiquius est ius Germanorum non scriptum iure scripto. Et quoniam temporibus antiquissimis maiores nostri teste Tacito de morib. Germ. cap. 4. *nullis aliis aliarum nationum conubiis infecti, propria et sincera et tantum sui similis exstiterunt gens*: proinde ius hoc non scriptum ex patriis tantum et mere Germanicis consistebat moribus et consuetudinibus, quas postmodum, simulac aliquem scripturae et litterarum habere coeperunt vsum, quod saeculo demum p. C. N. quarto factum esse ex Philostorg. Hist. Eccles. 2. 5. discimus, celebriores Germaniae gentes litterarum

rarum monumentis consignarunt. vid. Illust. Christ. Godofr. Hoffmanni Specimen Coniect. Polit. cap. 2. period. 3. pag. 19. sqq. it. Hermanni Conringii Origines Iuris Germ. cap. 2. et cet. pag. 3. et cet. A saeculo igitur quinto uti coepit Germanorum veterum haud exigua pars iure scripto, reliqua ius non scriptum retinuit, et quousque maiores nostri, ii scilicet, qui in Germania remanebant, nec ad exemplum aliarum gentium germanicarum, patria relicta, novas petebant sedes, Deorum cultui, cuius erant tenacissimi, addicti erant, eousque videtur ius hoc non scriptum aeque ac scriptum ab immixtione aliarum et peregrinarum legum maxima ex parte semper liberum fuisse. Post felicissimam vero maiorum nostrorum ad fidem Christianam conversionem, magnam et ipsa iurisprudencia vetus Germanica exinde iniiit mutationem. Maiores enim nostri barbari, feroces et quibus neque religio, neque mores erant vni nostro vero et aeterno Deo grati, postquam demum Christo nomen dederunt, longe mitioribus necessario, sanioribus, sacratissimaeque fidei christianae accommodatoribus adhaeserant moribus, ideoque non poterant non multa huius iuris scripti pariter ac non scripti capita iniusta, impia et execranda reperiri. Haec igitur correctae et emendatae, immo ipsae istae leges scriptae varie auctae sunt. Inprimis id factum est a Carolo M. eiusque successoribus e stirpe Carolina, qui veteres leges populorum Germaniae emendarunt, auxerunt, eorum populorum, quorum iura in scripturam redacta adhuc nondum erant, litterarum monumentis consignarunt, variasque simul novas sub Capitularium nomine condiderunt leges, quibus novis constitutionibus, capitularibus scilicet, quum multa ex canonibus conciliorum et synodorum episcopaliurn, immo et ex ipso iure romano, codice scilicet Theodosiano, immiscerentur: hinc hoc modo patria iura iam iam paulisper alterari coeperunt. vid. Hoffmannum l. c. cap. 2. period. 4. pag. 75. et cet. it. Conringium l. c. cap. 12. 13. 14. 15. Atque ita se habuit iuris Germanici conditio a Carolo M. vsque ad saeculum p. C. N. circiter decimum. Hoc vero tempore Germaniam nostram variae non tantum exterae et barbarae gentes bello adgredebantur, verum inter ipsos etiam Germaniae status et imperatorem functione istae de vtriusque potestate et iuribus exoriebantur disceptationes, quamobrem temporibus his turbulentissimis de legibus privatis in Germania nostra non tantum parum nihilae cogitabatur a proceribus imperii, verum ipsae etiam paululum hucusque memoratae leges vniuersales, capitularia scilicet Caroli M. aliorumque imperatorum et regum Germaniae, quae non nisi vbique auctoritatem nactae erant, circa haec tempora antiquabantur, praeter quam quod apud clericos ipsumque imperatorem, quorum au-

clori-

auctoritatem et potestatem mirifice adaugebant, auctoritatem suam quodam-
 modo retinebant. vid. Hoffmannum l. c. pag. 93. Conringium l. c. cap. 25.
 pag. 151. et Christ. Thomafium in Delineat. Hist. Iur. §. 86. Ex hoc in
 felici iuris priuati neglectu exoriebatur ius aliquod arbitrarium, consistens
 in moribus et consuetudinibus non scriptis et haud quaquam vniuersalibus
 aut in tota Germania receptis, sed particularibus. Tot enim huius iuris
 non scripti et arbitrarii existerent species, quot non tantum in Germania
 nostra tunc temporis erant prouinciae, verum quot erant vrbes, nec tan-
 tum quot vrbes paullulum celebriores, verum quot ciuitates, oppidula,
 pagi. Hae consuetudines, quamuis non negandum, eas haud raro statui
 Germanorum fuisse accommodatiores, quam aliarum et peregrinarum gen-
 tium leges variis subtilitatibus repletae, quum tamen inter se essent diuer-
 sissimae, quum haud raro in morosa quadam rerum quandoque ineptissi-
 marum obseruantia acquiescerent: iurisprudentiam nostram Germanicam
 variis iisque fatis perniciosis naeuis inquirant. Hanc iuris germanici
 conditionem miseram, legum scriptarum penuriam, laicorum ignorantiam,
 et imperantium circa leges priuatas incuriam dum animaduertent clerici:
 sua auctoritate et potestate, quam iam dudum in laicos exercuerant, deno-
 abusi sunt, et quae circa annum post MCC. tricesimum Gregorius IX.
 Pontifex Romanus publicauerat Decretales, quasque ex imperio inique ad-
 sumpto vbiuis obseruari mandauerat, non sine maximo iuris patrii morum-
 que germanicorum detrimento in fora Germaniae introducebant, huicque
 iuri, quo laicis durissimum omnino inpositum est iugum, viam in omnia
 iudicia aperiebant. vid. Conring. l. c. cap. 26. pag. 154. Hoc ius peregrini-
 num, quo magis ab antiquis Germanorum moribus legibusque recedit, eo
 magis illius introductione in fora Germaniae leges et mores patrii immuta-
 ti sunt, adeo, vt bona pars consuetudinum hodiernarum rectius ex hoc
 iure canonico, quam antiquis Germanorum moribus deriuetur et explicetur.
 Et quanquam non negandum, iura haec canonica primo non nisi in
 ecclesiasticis causis adhibita et obseruata fuisse: mirum tamen est, quan-
 tam mutationem haec iura et ciuilibus attulerunt legibus iuribusque. *No-
 uum*, inquit nunquam sine encomio nominandus Herm. Conring. l. c. 26.
 pag. 159, *nouum et longum iudiciorum ordinem, comperendinationum et pro-
 crastinationum oberem campum pro simplici maiorum nostrorum iuridici pro-
 cessus formula obtulit hoc ius peregrinum, multitudine et varietate et obscu-
 ritate legum et clero et aliis crucem quasi fixit, supersticiosos hominum ani-
 mos in rempublicam armauit, clerum ac populum collisit, denique litibus Ger-
 maniam repleuit et emunxit argento. Certe plus longe mali ab illo iure ena-
 tum*

tum est quam boni. Haec Conringii verba satis testantur in quantum huius iuris canonici introductione ius Germanicum legesque patriae priuatae mutatae iisque derogatum est. Proinde etiam optimo sane consilio beatus noster Lutherus huius iuris abrogationem suaserat, sed obstantibus quibusdam, qua ex causa nescio, Ictis, quod abrogaretur impetrare non poterat, adeo, ut adhuc etiam hodie in foris Protestantium ius illud canonicum minorem quidem, quam apud Romano-Catholicos, aliquam tamen, praesertim in ecclesiasticis et matrimonialibus causis et in processu forensi, praeterea in doctrina de iuramentis, de usuraria prauitate et praescriptione retinuerit auctoritatem, id quod praeclara doctrinae praesentia demonstrauit Vir in omni iurisprudencia magnus Iust. Henning. Boehmerus in opere praesentissimo de Iure Protestantium Ecclesiastico. Non vero beatus tantum Lutherus huic iuri peregrino obicem ponere constituerat, haud etiam multo post introductionem iuris huius canonici, quod clerici Germaniae populis obrudebant, ingenui quidam et egregie cordati viri huic iuri eiusque receptioni obstabant, et ne patrii mores aut profus interirent, aut saltem nimium immutarentur: consuetudines has, has leges non scriptas prouinciales, immo et locales, litterarum monumentis consignabant. Nec negandum est, has morum Germanicorum collectiones maximo cum applausu fuisse acceptas et, non obstante, quod priuata tantum auctoritate fuerint susceptae, non in Germania tantum, verum et extra Germaniam maximam nactas fuisse auctoritatem. vid. Hoffmann. l. c. pag. 106. sqq. 129. sqq. Conring. l. c. cap. 30. pag. 179. Verum omnes hi nunquam satis laudandi conatus, quanquam aliquantisper iuris canonici auctoritatem impediuerunt, quod profus e Germania nostra proscriptum fuisset, non effecerunt. Retinuit suam auctoritatem, nec tantum retinuit, verum simul etiam, ni fallor, in causa fuit, ut non sine maximo iuris patrii detrimento, nouum ad huc aliquod ius peregrinum, Romanum scilicet et cum eo simul ius feudale Longobardicum, quod Friderici secundi temporibus Hugolinus, quem admodum ex Odofredo iam notauit Aluarottus, iuri romano Iustiniano, speciatim nouellis Iustinianeis ut decimam collationem adiecerat, vid. Conring. l. c. cap. 26. pag. 154. in Germaniae fora et scholas reciperetur et introduceretur. Non equidem nego, iam ante haec tempora varia iuris romani capita Germanis innotuisse, sed pauca haec erant et ideo innotuerant Germanis, quod codex Theodosianus iam ante tempora Caroli M. Francis cognitus non tantum, verum etiam alicuius apud illos esset pretii, unde etiam in ipsa regum Francorum capitularia varia huius Codicis capita translata sunt, cuius rei exempla oppido multa collegit Stephanus Baluzius.

in notis ad Capit. regum Francorum. Vid. praeterea Brunquelli Historiam Iuris Part. 1. cap. 15. a §. 8 vsque ad 32. Iam vero de iure romano non Anteiustiniano, aut quatenus in codice Theodosiano relatum fuit, sed Iustiniano loquimur, quod non nisi saeculo circiter XIV. Germanis innotuit et ita demum inclaruit, ut a Maximiliani Imperatoris temporibus pro iure vniuersali communi et subsidiario fuerit habitum, quod procul dubio nunquam fuisset factum, nisi clerici, qui tunc temporis proximi imperatorum et principum erant consilarii, harum legum aequitatem iustitiamque maximis extulissent laudibus, ipsumque ius canonicum ad ius civile romanum prouocasset, idque quam maxime commendasset; nisi ipsi imperatores Germaniae, qui se imperatores Romanos esse autumabant, hoc ius illiusque studium, vel ideo quod romanum erat promouissent; nisi porro Germani, qui litterarum et eruditionis gratia alienas prouincias, inprimis academias Italicas, ubi non nisi iura Iustiniana a tempore Irenii docebantur, frequentassent, hac occasione iura ista peregrina didicissent, in patriam adportassent, in foris applicassent, non sine maximo iuris patrii, cuius tunc temporis aut rudes et expertes, aut contemptores erant eruditi, damno; nisi tandem, ut alia iam taceam, ipsi denique principes Germaniae, ex quo in Germania academiae erigi coeperunt, quod saeculo demum quarto decimo factum esse testatur Conringius in Antiq. Acad. dissert. 1 §. 46. pag. m. 52. eas ad exemplar Italicarum formassent iurisque ciuilibus et canonicis, iure patrio prorsus neglecto, professores constituissent, doctoresque huius vtriusque iuris peregrini creare iussissent, id quod Iuris canonici et romani incrementa in Germania mirum quantum adauxit. Vid. laudati saepius Hoffmanni dissert. de iurispr. German. principiis et fontibus Beyer delinea. Iur. Germ. praemiss. pag. 20. §. 16. Et quanquam tam certum est, quam quod certissimum, quemadmodum monet Illust. Christ. Thomasius in Delineat. Histor. Iuris §. 176. incremento iuris Romani potissimum se opposuisse Scabinatus, qui aduerti erant, secundum leges et mores Germanicos pronunciare, item Senatus urbium, commercia maritima tractantium, quae procul remotae erant ab academiis et non facile Doctores iuris in senatum recipiebant, diutius iura patria seruasse; quanquam Doctores iuris non vno in loco ex Senatu et Scabinatibus moti sunt, vid. Conring. l. c. c. 32. pag. 196 - 98. Speculum Saxonicum, ne illius obliuio facile irruere posset, variis editionibus impressum est, et simili intentione a Meischnero Speculum Sueuicum e tenebris in lucem protractum est, quod ipse in praefatione huic editioni praemissa satis declarat, quanquam Scabinatus, non obstantibus praedictis Facultatum Iuridicarum oppositis, secundum mores patrios

patrios pronuntiare continuarunt: attamen omnia ista, vt ius romanum e foris et academiis Germaniae proscriberetur, efficere nunquam poterunt. Retinuit potius ius illud peregrinum romanum aequae ac canonice et langobardicum suam auctoritatem et ita retinuit, vt ad hunc vsque diem pro iure vniuersali communi et subsidiario habeatur.

§. 4.

*Ostendit generatim Iurisprudentiae hodiernae
et theoriae iuris miseram conditionem.*

Haec sunt Iurisprudentiae, qua in foris Germaniae vtimur, origines vicissitudines variaeque mutationes, quas anteced. §. breuissime quidem, verum quantum hoc loco fieri potuit accurate delineauimus. Quod si haec, quae dicta sunt, vel obiter tantum nobiscum cogitemus: quilibet procul dubio facile perspiciet, fora nostra multitudine legum et iurium earumque varietate et peregrinitate esse obruta, ipsamque iurisprudentiam nostram ideo quam maxime confusam, obscuram, incertam et difficilem esse redditam. Malo Hermanno Conringio haec, quam mihi credi. *Leger*, inquit vir ille magnus libro saepius laudato de Orig. Iur. Germ. cap. 34. pag. 220. *quae in quaque Germaniae ciuitate et regione hodie obseruantur ex variis ad modum fontibus promanarunt, adeoque ex variis libris non tantum vniuersae Germaniae, sed singulorum etiam principatum rerumque publicarum instituta petenda sunt. Quod cum non possit non difficillimum esse: fortassis haud abs re fuerit, si quaelibet ciuitas omnia, quae in vsu sunt, in vtilibus respectis singulari libello curet comprehendere.* Sed paullo plenius curatiusque haec misera iuris hodierni conditio explicanda est. Quod, vt eo melius perficiamus; in mentem omnino revocandum est, in Germania hodie tria potissimum peregrina iura esse recepta Canonicum scilicet Romanum et cum Romano Langobardicum. De iure canonico supra iam iam monui, Illustr. Boehmerum in opere praestantissimo de Iure Ecclesiastico Protestantium demonstrasse, illud apud Protestantes adhuc hodie in causis ecclesiasticis praecipue et matrimonialibus nec non in processualibus, in doctrina de iuramentis, vsuris et praescriptione suam exerere auctoritatem. Iam vero de iure Romano et clientelari Langobardico eiusque auctoritate in foris Germaniae quaeritur. Receptum est vtrumque tanquam ius commune et subsidiarium. Quum igitur duplex hoc ius peregrinum non nisi tanquam subsidiarium sit receptum: necesse est, vt praec

terea in Germania existat aliquod ius ordinarium. Sed quale est illud? Leges et consuetudines et mores patrii. Manet igitur adhuc hodie iuri patrio sua vis, suus honor, sua auctoritas. Corroborant haec, quae dixi, constitutiones Imperatorum Maximiliani I. et Caroli V. variae. Quamuis enim duo hi memorati Imperatores nihil reliqui fecerint, ut ius Romanum et Canonicum iuris communis nomine in imperio reciperetur: semper tamen simul ab his cautum est, ut foris ideo non extorres essent leges et consuetudines patriae, quippe quae semper confirmantur. Ita Maximilianus in Ord. Iud. Camer. anno 1495: Ein ieder soll seine Untertanen in ordentlichen Gerichten, Rechten und Obrigkeiten lassen und halten nach eines jeden Fürstenthums, Herrschaft und Obrigkeites Herkommen und Gebrauch. Ita Carolus V. in Ord. de anno 1521. Adfessores iureiurando obstringi iubet, ut iudicent: Nach redlichen, ehrbaren und ländischen Ordnungen, Statuten und Gewohnheiten der Fürstenthümer, Herrschaften und Gerichte, die vor siebracht werden. Vid. Illustr. Heineccii Histor. Iur. Germ. cap. 4. §. 106. Hac etiam de causa asserit Herm. Conring. l. c. cap. 33. pag. 212. *Quamuis ita passim per Germaniae fora Romanum ius coeperit, et multae priscae leges et consuetudines observari ita deserint: haud crediderim tamen usquam locorum solum hoc ius unice esse receptum, omnibus prisca moribus et institutis abrogatis. Certe plerisque in locis haud pauca vetera legibus romanis praeseruntur, non nunquam in incerto ius fluctuat, nunc romano, nunc veteri praevalente. Nusquam vero ita recepta sunt romana, ut novorum statutorum legumque, cum romanis etiam pugnantium condendarum potestatem principes altique Imperii ordines non sibi retinuerint. Hinc hodieque passim per uniuersam Germaniam plurima edicuntur et promulgantur, quae a romanis institutis immane quantum dissident. Neque id non rite fieri, prudentior quis criminatur. Nefas autem foret, si secundum solas romanas leges viuendum esset. Idem obseruat Ictus praestantissimus, Samuel Stryckius cuius memoriam nulla vnquam apud veros Iurisprudentiae masculae aestimatores delebit obliuio, in Dissert. praelim. Vltui ꝛ. praemissa §. 27. vbi Ius Iustinianicum, inquit Vir ille magnus, in publicis quidem Imperii Germanici legibus consensu omnium statuum latis pro iure communi habetur, non tamen id ita est intelligendum, quasi solis legibus romanis viuendum sit in Germania, et quidquid olim maiorum moribus inductum, penitus sit explosum, nusquam enim textum in Imperii constitutionibus reperiri in quo non ius commune Caesareum et recepti mores iungantur, sed eatenus ius civile in causis decidendis in Imperio est obseruandum, quatenus honesta aut rationabilis consuetudo, aut recentior lex Imperii doceri nequeat, his enim desici-*

deficientibus demum standum est iuri Iustiniano. Ex quo tandem colligit Vir ille prudentissimus, *consuetudines antiquitus obseruatae, iuri scripto merito praeseruntur, ac proinde in subsidium, si in casu proposito nulla legitima consuetudo adsit ad ius romanum recurri debet.* Idem fatentur omnes, qui rem paullo accuratius expendunt, ipsi etiam alias Iuris romani aestimatores nimii, e. gr. Arthurus Duck de iuris ciuiliis romani auctoritate libr. 2. cap. 2. §. 9. et 10. cuius aliorumque verba huc afferre haud videtur esse necessarium, quum ex adductis iam satis superque constet, quanta etiam hodiernum iuris patrii morumque Germanicorum sit auctoritas, quantus honor. At enim vero ipsa ista iura Germanica denuo inter se differunt et sunt vel vniuersalia, vel prouincialia, vel localia, scripta et non scripta, non tantum non sibi vbique conformia, sed potius diuersissima interdum sibi-que ipsis contraria. Cuiam igitur legi aut consuetudini inhaerendum est, si deprehendantur diuersae sibi-que contrariae, quales inter mores patrios deprehenduntur quam plurimi? *Quoties de iure quaeritur, quae sunt verba Viri prudentissimi Christian. Godofred. Hoffmanni in Specim. Coniect. polit. cap. 3. §. 1. pag. 172. quoties de iure quaeritur: recurritur primo ad mores et obseruantias, his deficientibus ad iura statutaria, iis silentibus ad iura prouincialia, quibus nihil disponentibus vniuersales prouinciae consuetudines sunt consulendae, et in earum defectu ad iura Imperii Germanici vniuersalia prouocatur et tandem in plurimis locis imualuit, ut post ea iura ius canonicum et romanum in subsidium vocetur. Per tot iura diuagatur iustitia antequam scopum obrineat.* Haec est misera iurisprudentiae hodiernae conditio generatim considerata.

§. 5.

Duobus Speciatim Iurisprudentia nostra laborat vitiis. Primum est, disciplinam hanc esse difficillimam.

Ex his, quae de iurisprudentia nostra hodierna antecedente §. attuli, et quae ex iis, quae §. 3. disserui necessario fluunt, iam sole meridiano clarius est, iurisprudentiam nostram eiusque theoriam dissidii illius nimii, quod inter praxin et theoriam iuridicam intercedit, esse causam primariam. Duobus enim iisque grauissimis iurisprudentia Germanorum hodierna affligitur morbis, Difficultate scilicet et Incertitudine. Iuris nostri theoriam esse rem difficillimam, procul dubio negabit nemo, nisi qui quid sit

fit difficile, aut qualis iurisprudentiae nostrae sit conditio profus ignorat. Iurisperitus non est, qui consuetudines et obseruantias, qui iura tantum localia et statutoria intelligit. Ipsi etiam interdum ciues illiterati aut plebei suae ciuitatis norunt iura et consuetudines, nulli tamen ideo fiunt iurisculti, et quare? Praeter localia iura et consuetudines in vnaquaque civitate et vrbe auctoritatem habent iura, leges et consuetudines provinciales, quas vt plurimum ignorant homines illiterati et scire debet iuriscultus. Nec haec tantum nosse, sufficit. Praeter memorata enim localia et prouincialia iura scripta et non scripta, in viridi adhuc obseruantia sunt variae leges vniuersales scriptae et non scriptae, quae in tota Germania hodiernum auctoritatem exerunt suam, quapropter a nullo iuriscultus ignorari debent. Recepta praeterea sunt tria saepius memorata iura peregrina Romanum, Canonicum, Longobardicum et ad decidendas componendasque controuersias non tantum, sed etiam in aliis negotiis ciuilibus quotidie in foris adhibentur. Quicumque igitur veri Iurisculti nomen et titulum tueri cupit praeter varia ista iura patria, tria etiam haec iura peregrina, nec superficialiter, sed intus, quod dicitur et in cute nosse debet. Iam perpendamus, quantum ad vnius iuris disciplinae solidam cognitionem requiratur et temporis et laboris, quam difficilia sint iura nostra partim ob diversitatem et multitudinem, partim ideo, quod magna eorum pars in consuetudinibus et moribus non scriptis consistat, quantis difficultatibus obnoxia sint iura ista tria peregrina eorumque solida cognitio, quae non nisi in subsidium vocatis aliis disciplinis et scientiis, e. g. philosophia veteri Graeca, Historia, Antiquitatibus et s. p. acquiri potest. Haec, inquam, qui perpendit, lubentissime etiam concedet, iurisprudentiam nostram esse disciplinam difficillimam. Perniciosum hunc et grauissimum iurisprudentiae morbum iam suo saeculo felix Contingii manus detexit, dum in Orig. Iur. Gem. cap. 34. pag. 226. de eo *Legum receptorum*, scribit, *peritiae acquirendae hodie tanta est difficultas, vt non nisi maximo labore detur illam comparare. Quoniam scilicet ex variis illa fontibus est haurienda, et quia leges romanae, quae praecipuam hodie iuris partem constituunt, intellectu obscurae sunt, quum ob linguae et rerum multarum a nostris ingens dissidium, tum, quod melior eius pars ex fragmentis sit consecuta non legum, sed interpretum antiquorum, insolito per vniuersum terrarum orbem exemplo, quia denique, vt alia iam taceam, ipsum ius canonicum, romanum et doctorum sententiae multum habent intricati. Hac sciendi difficultate vero efficitur primum, vt populus nesciat iura, secundum quae tamen nisi viuat, plecti et debet et solet, secundo, vt reges, principes alique proce-*
rum,

rum, quorum in officio maxime est ius dicere, omne hoc a se remouere et aliorum arbitrio cogantur committere.

§. 6.

*Alterum, quo Iurisprudentia nostra laborat,
vitium est Incertitudo.*

Iam ad alterum, quo Iurisprudentia nostra misere laborat, accedimus vitium, quod, vt supra iam innui, in incertitudine consistit. Haec, vnde originem habeat, facile patet, si modo multitudinem iurium, si legum diuersitatem, ambiguitatem, perplexitatem probe perpendamus. Iura nostra, quibus in Germania vtimur partim a Romanis, partim a Pontifice et Clero romano, partim a Longobardis petita sunt, quibus omnibus non obstantibus adhuc subsistunt iura Germanorum localia, prouincialia vniuersalia scripta et non scripta. Ediuerfarum rerum publicarum legibus iurisprudentia igitur hodierna composita est. Ast non vna in vniuersum rerum publicarum est facies, non vnus idemque scopus, non vnus eiusdemque indolis sunt ciues rerumpublicarum. Haec respublica hunc, alia alium intendit scopum. Hinc prudentissimae leges sunt istae, quae reipublicae, in qua obseruari debent, sunt exactissime accommodatae, quae ad eius statum et scopum plenissime sunt directae. Iam ad iura nostra fiat applicatio. Sine praeuio examine concedimus, leges istas varias, in Germania receptas, esse prudentissimas, i. e. vnicuique reipublicae, vbi latae et compositae sunt, eiusque statui et conditioni, accommodatissimas, ne aut maiores nostros, qui introduxerunt, aut nosmet ipsos, qui retinemus has leges, si in perfectae sint, defectus prudentiae legislatoriae sane grauissimi accusemus. Quodsi vero sint prudentissimae, vt, quod sint, supposuimus: necesse est, vt leges romanae statui et scopo quem intenderunt Romani, leges Pontificiae scopo Pontificis et Clericorum, leges Longobardorum conditioni reipublicae Longobardorum et Germaniae iura vniuersalia et particularia scopo et statui vel totius Germaniae, vel huius illiusue prouinciae sint accommodatissimae. Erat vero antiquis Romanis longe alius finis, quam Pontifici et Clero romano, et huic denuo alius quam Longobardis, ipsisque denique Germanis nostris alius est scopus, quem intendunt, quam Romanis, Clero et Pontifici romano et Longobardis. Exinde vero necessario sequitur, leges romanas, pontificias et Longobardorum Germaniae statui non exacte quadrare, vnde nouum exoritur incommodum, scilicet,

licet, leges has peregrinas moribus et legibus Germanicis quam saepissime esse debere contrarias. Valent vero suamque quotidie in foris nostris exerunt auctoritatem dictae istae leges peregrinae, vnde oritur necessario maxima legum et iurium collisio, dum scilicet hae leges ita, aliae aliter praecipiant, ex qua collisione maxima demum nascitur incertitudo. Haec, quae hucusque dixi, confirmat quotidiana experientia. Quid enim est causa dissensionum inter Ictos maximorum, quatenam est mater opinionum istarum communium et receptorum, quae est causa diuersitatis, quam in sententiis Collegiorum iuridicorum et Scabinatum indies reperimus? Nonne ea ex incertitudine iuris oritur? Ex professo id demonstrare allaborauit iam olim vir doctissimus Hieronymus de Caeuallos in speculo aureo opinionum communium contra communes, ex cuius prooemio pauca, quae huc faciunt addam. *Quilibet miretur, inquit, in quanta caligine et obscuritate totum ius versetur, cum nulla sit opinio certa et verissima, quae non possit pluribus contrariis opinionibus et fundamentis contrariari. Et sic omnia negotia magis ex iudicium arbitrio, quam ex certa iuris dispositione terminantur, et modo in vno eodemque negotio nunc pro auctore nunc pro reo sententia fertur sine variatione iuris atque facti, sed solum ex eo, quia his iudicibus placet haec opinio et aliis displicet et cet.* Quum igitur, quemadmodum ex dictis his, vt opinor satis superque constat, iurisprudentia nostra duobus iisque grauissimis laboret morbis difficultate scilicet et incertitudine legum, nonne certissimum est, dissidii, quod inter theoriam et praxin iuridicam subsistit, veram et certissimam causam ipsam nostram esse iurisprudentiam eiusque theoriam? Theoria enim alia esse non potest, quam ipsa est iurisprudentia, quippe quae tradit omnes huius disciplinae doctrinas difficiles et incertas, vt ipsa nostra est iuris disciplina. Quod mecum dum cogito: mirari satis nunquam possum virorum quorundam interdum etiam conspicuorum de iurisprudentiae nostrae perfectionis fastigium adscendisse, nec quidquam illius perfectioni deesse videtur. Haec taliaque dum audio, aut apud magnos interdum viros dum lego: tunc idem mihi accidit, quod olim Romanis quibusdam, qui erubescabant ipsi, quum Catonem deprehenderent ebrium. Haud equidem iis adstipulor, qui tanquam Censores sine populi suffragio creati, omnia in iure nostro reprehendunt et partim iura romana partim germanica false perstringunt, quorum conuicia iam dudum ab aequis iurisprudentiae aestimatoribus eneruata sunt et profligata, quare non opus est, vt contra has obreclationes disputem, quod nisi etiam iam actum esset, quid proficerem ego homo minime disertus

fertus contra eorum conuicia, et quis dedocebit hos homines, meliora doc-
 clos, deteriora sequi? Quamuis igitur ab intempestiua horum criticorum
 censura abstineam: ideo tamen nunquam persuadere mihi possum, vt, iu-
 ris prudentiam nostram in summo perfectionis fastigio positam esse, exi-
 stimem. Multa in iure nostro egregia plane et maxima laude sunt digna,
 multa toleranda et, quamuis meliora reddi queant, excusari tamen simul
 possunt, haud pauca vero inueniuntur praeterea, quae iusta omnino repre-
 hensione sunt digna, ad quae praesertim nimia ista et perniciofa theoriae
 et praxis iuridicae differentia, quae ex difficultate et incertitudine legum
 oritur, referri meretur.

§. 7.

*Memorati hucusque iurisprudentiae morbi an et
 a quibus sanari queant?*

Detectis igitur variis morbis, qui ipsam nostram iurisprudentiam mi-
 fere lacerant, quid aequius meliusque est, quam, vt sedulo inquiramus,
 numne his morbis medicinam addere liceat, aut an prorsus sint insanabi-
 les? Quod naevi memorati, quibus iurisprudentia nostra laborat, grauissi-
 mi sint et perniciosissimi, nemo forsitan negabit, nisi qui iurisprudentiae
 nostrae conditionem aut prorsus ignoret, aut nimio erroneoque praeiudi-
 cio sit praepeditus. Quanti vero etiam et quam inueterati sint isti morbi:
 ideo tamen non tam insanabiles fortassis sunt, vt de recuperanda sanitate
 prorsus desperemus. Nosse morbum eiusque causam et originem detexis-
 se feliciter primus ad reconualescentiam est gradus. Igitur nos, qui noui-
 mus morbos, quibus iurisprudentia nostra laborat, quum cognitae sint
 causae, origines et fontes illorum, quid est, cur de sanitate prorsus despe-
 remus? Quemadmodum vero medicus officio suo nondum satisfecit, si
 morbum eiusque causam detexerit feliciter, sed potius obstrictus est salu-
 bribus remediis aegroto subueniendi: ita et ii, qui desperatis iurispruden-
 tiae rebus succurrere cupiunt, morbo illiusque causis cognitis, vt salubria
 suppedient remedia, quibus hi morbi sanari possunt, necesse habent. At
 enim vero, qui sunt isti, quibus tam arduum, tam proficuum, tam desi-
 deratum munus perficiendi datum est ius atque potestas, a quibus misere
 decumbens iurisprudentia nostra medicinam petere et expectare potest?
 Iurisprudentia omnis ciuilis duplici, ni fallor, subiecta est imperio, ex
 vna parte potestati principum et regum, qui iura et leges ciuiles abrogare,
 emendare,

emendare, corrigere, novis constitutionibus augere supplere pro ea, qua pollent, auctoritate valent, ex altera parte potestati iuris peritorum, qui leges a principibus latas, introductas, emendatas et auctas interpretantur actionibusque hominum applicant. Hoc iuris consultorum in iurisprudentiam imperium vel ideo quidem admodum restrictum esse videtur, quod interpretatio et applicatio legum intentioni legis legumque latoris debet esse conformis. At enim vero quum maxima pars legum, quibus in foris nostris hodie utimur, sit peregrina, quum leges istae lingua peregrina sint conscriptae, quum haud raro ambiguae, dubiae sint et perplexae, principes vero et reges huius linguae peregrinae notitia solida, quae cum cognitione historiarum, antiquitatum aliarumque scientiarum debet esse coniuncta, ut plurimum destituantur, adeoque leges has aut plane non, aut non satis intelligant, nec ambiguitatem et perplexitatem legum multarum tollere queant: hinc partem hanc non minimam potestatis suae in iuris consultos transtulerunt. vid. Conring. l. c. cap. 35. pag. 226. Exinde vero constat, potestatem iuris doctorum in leges civiles non adeo restrictam esse, quam quidem videtur. Quum igitur iurisprudentia in potestate partim principum et regum, partim iurisconsultorum sit constituta: hinc facile constat, morbis, quibus laborat scientia nostra legitima, aut ab his, aut ab illis succurri debere. Iam videamus, qua ratione principes et reges, qua iuris-consulti desperatis iurisprudentiae rebus medicinam addere queant.

S. 8.

*De ratione, qua principes et reges Iurisprudentiae
subuenire possunt, et quatenus ista remedia
expectari possunt.*

Iurisprudentia nostra civilis hodierna, si de illius habitu et conditione iudicium ferre liceat, non iisdem tantum, sed grauioribus adhuc laborat vitiis, quibus laborabat iurisprudentia romana anteiustinianea. Qualia haec fuerint, ut alios taceamus, declarat elegantissimus historiae romanae scriptor Lilius lib. 3. Historiae Romanae cap. 34. vbi iurisprudentiam romanam *immensum aliarum super alias aceruarum legum appellat cumulum*. Probe itaque sui iuris molem agnoscebant Romani, nec agnoscebant tantum, verum etiam prudentiores eorum, potentioresque medicinam meditantur. Ita Cicero, teste Gellio lib. 1. cap. 22. Noct. Attic. in libro de iure civili in artem redigendo, ita Cn. Pompeius, teste Isidoro libr. 5. Orig.

Orig. cap. I. ita denique Iulius Caesar, teste Suetonio in vit. Iulii Caesaris cap. 44. Ius ciuile ad certum modum redigere atque ex immensa et diffusa legum copia optima quaeque et necessaria in paucissimos conferre libros destinauerat. Sed nec Ciceroni, nec Pompeio, nec Iulio Caesari hic labor, salubre hoc prospere successit consilium. Subsistebat proinde malum nec subsistebat tantum, verum etiam, vt est morborum mos, indies magis magisque crescebat et ab vnoquoque imperatorum augebatur vsque ad Iustinianum, qui post Ciceronem, Pompeium et Caesarem, primus reperiebat, quae sunt ipsius Iustiniani verba in Const. de concept. Digest. §. 1. et 2. *omnem legum tramitem, qui ab vrbe Roma condita et Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, vt in infinitum extendatur, et nullius humanae naturae capacitate concludatur.* Proinde, quemadmodum pergit Sacratissimus Imperator l. c. *primum nobis fuit studium a sacratissimis retro principibus initium sumere et eorum constitutiones emendare et viae dilucidae tradere, quatenus in vnum codicem congregatae et omni superuacua similitudine, et iniquissima discordia absolutae vniuersis hominibus promptum suae sinceritatis praebent praesidium.* Hocque opere consummato, et in vno volumine nostro nomine praefulgente coadunato, quum ex paucis et tenuioribus releuati ad summam et plenissimam iuris emendationem peruenire properarem, et omnem romanam sanctionem et colligere et emendare et tot auctorum dispersa volumina vno codice indita ostendere, quod nemo neque sperare, neque optare ausus est: res quidem nobis difficillima immo magis impossibilis videbatur, sed manibus ad coelum erectis, aeterno auxilio inuocato, eam quoque curam nostris reposuimus animis, Deo freti, qui et res penitus desperatas donare et consummare suae virtutis magnitudine potest. Itaque, quae necessario in iure romano emendanda et corrigenda multi quidem Romanorum agnouerant, nemo tamen ad effectum ducere poterat, effecit Iustinianus, qui ius ciuile confusum immortalis sui nominis gloria ad certum modum redigit, atque ex immensa ista et diffusa legum copia optima tantum et necessaria in paucos contulit libros. Non e re mea est, vt hoc loco proluxe inquiram, quonam successu Iustinianus opus hoc sane arduum perfecerit. Sufficit, eum prudentissimum et optimum suscepisse consilium desperatis iurisprudentiae romanae rebus subueniendi. Quum itaque iurisprudentia hodierna ciuili iisdem laboret vitis, multitudine legum earumque diuersitate, nonne principes nostri et reges iisdem remediis miserae iurisprudentiae nostrae conditioni succurrere, illiusque naeuos simili consilio, sed meliori forte et feliciore euentu, depellere debent et possunt? Vtinam igitur fata hodie aliquem animarent Iustinianum, qui ius ciuile ad certum modum

dum redigeret et non nisi optima tantum et necessaria ex immensa legum nostrarum copia inutilibus resectis colligeret et in paucos componeret libros! Nullo profecto meliori, nullo certiori modo memoratis iurisprudentiae naevis occurrere eosque funditus tolli posse, quilibet sine dubio perspiciet. Quanto certius meliusque vero hoc esset remedium, tanto magis dolendum, quod nullus hucusque extiterit princeps, qui ad exemplum fortassis Basilii Macedonis, aemulatione motus, Iustinianum sequi et simili ex consilio ius nostrum civile ad certum modum redigere constituerit, nec exsisterit huc usque non tantum, verum etiam, si dicendum, quod res est, nunquam forte, certe in Germania nostra, ob varias easque sat praegnantibus rationes, quas hoc loco inferere nimium omnino esset, sperandum sit.

§. 9.

*Qua ratione Iurisperiti hos naevos emendare
et corrigere queant, anquiritur.*

Quod antecedente §. memoravi remedium, quo iurisprudentia nostra in meliorem et saniozem formam a principibus regibusque redigi possit, quum praeterea nullum forte aliud aequè bonum, certum, efficacè reperiiri possit: principibus et regibus vel solum est relictum. Quum vero memoratum illud remedium ita sit comparatum, ut haud facile possit expectari: hinc iurisprudentiae nostrae reconualescentia aut vanae annumeranda est spei, aut si quaedam adhuc relicta sunt remedia: ista a iurisperitis expectanda petenda sunt. Inquiramus itaque quo modo, qua ratione iurisperiti desperatis iurisprudentiae rebus succurrere valeant. Iurisconsulti, ut supra quodammodo docui, aliquam omnino eamque non exiguam in ipsam iuris disciplinam habent auctoritatem. Ut vero ad exemplum Iustiniani ius civile ad certum modum redigant, ut ex immensa ista et diffusa legum nostrarum copia nonnisi optima et necessaria, reliquis, quae superflua, incerta, obscura sunt, resectis colligere et in paucos redigere queant libros, haec tanta auctoritas, quae principes et reges nunquam egreditur, iurisperitis non competit. Igitur doctores iuris nihil legum abrogare, nil noui constituere possunt, sed iuris potius prudentiam, in eo, quo est, statu derelinquere debent. Quidquid propterea a Ictis ad emendationem scientiae nostrae legitime expectari potest, in eo consistit tantum, ut quasi per indirectum naevis istis saepius memoratis doctrina sua obuiam eant, eosque

eosque, si tollere prorsus nequeant, mitiores tamen et tolerabiliores quodammodo reddant. Iam propius perspiciamus, qua ratione dignum hoc iurisperito munus suscipi feliciter et expediri possit ac debeat. Iurisprudentia nostra duobus praecipue laborat vitiis, difficultate nimia et incertitudine legum. Vtriusque causam supra indicaui et ostendi difficultatis causam primariam esse potissimum multitudinem, incertitudinis vero nimiam diuersitatem legum et iurium. Dum igitur iurisperiti hos naeuos corrigere et emendare debent: necesse est, vt tollant, nisi in totum, saltem ex parte causas et origines istorum vitiorum. Necesse igitur est, vt multitudinem legum earumque diuersitatem, quantum fieri possit, auferant. Et vtrumque iurisperiti doctrina sua praestare quodammodo valent. Innumeram legum ciuilium multitudinem, nimiae istius difficultatis causam primariam, tolerabiliorem reddere, ipsamque propterea istam difficultatem tollere aliquantisper possunt iuris doctores, si modo confusum hoc iurisprudentiae ciuilis chaos ad prima, vniuersalia, certa, adaequata et pauca reducant principia. Quenam vero sunt ista? Ea, quae sana nos docet ratio, principia iusti et aequi, aeternae istae et immutabiles leges naturae, Quae, quid sit pulerum, quid turpe, quid vtile, quid non

Plenius ac melius

Iustiniano et quouis alio legislatore dicunt. Hae leges naturales et praecepta morum vniuersalia ex ipsa humana natura et sana, qua praediti sunt homines ratione originem suam habent. Haec sana hominum ratio vbiq; terrarum est vna, conformis, sui semper similis et immutabilis, vnde necessario sequitur, vt ipsae istae veritates vbiq; terrarum sint vnae, sibi conformes, sibi semper similes et immutabiles. Leges igitur naturales, praecepta ista moralia aeterna et immutabilia omnes in vniuersum obligant homines. Proinde omnes leges ciuiles humanae, si sint vtilis, iustae, aequae; necesse est, vt rationi, insimul etiam legibus istis naturalibus vbiq; sint conformes et adaequatae, vnde tandem apparet, leges naturales esse leges vniuersales et prima, certa, iusta omnis iurisprudentiae ciuilis humanae principia. Quemadmodum autem in omnibus aliis scientiis nemo felices facere potest progressus, sed potius insuperabilibus obnoxius est difficultatibus; qui principia vniuscuiusque scientiae et disciplinae aut negligit aut ignorat, e. g. in mathesi principia Arithmetices et Geometriae, in philosophia principia metaphysica et logices: ita etiam in iurisprudentia perdiscenda, nemo feliciter progredi potest, sed potius quibus insuperabiles vbiq; deprehendit difficultates, qui nescit principia iurisprudentiae omnis humanae, scilicet leges vniuersales, naturales et principia moralia,

Quum itaque haec iuris prudentia vniuersalis et doctrina morum, si negligatur et ignoretur, iuris prudentiam ciuilem reddat difficillimam; hinc necessario, si probe e contrario excolatur, si iuris prudentiae ciuili praemitatur et arctissimo vinculo coniungatur, eam reddere debet multo faciliorem. Itaque certissimum difficultatis istius nimiae, qua iuris disciplina ciuilis laborat, remedium est, vt alia hoc loco taceam, studium iuris prudentiae vniuersalis naturalis et doctrinae moralis, id quod praeter alios iuris prudentiae hodiernae heroes publice fatetur incomparabilis Ictus Gottlieb Gerhard Titius lib. 1. cap. 6. §. 32. Iuris sui priuati Romano Germanici, vbi *nihil aliud superest* inquit, *remedium*, quo scilicet multitudini legum et exinde descendenti difficultati Iuris prudentiae Germanicae occurrere omnium optime potest, *quam, vt leges conuatas fundamenti loco supponamus, ac legibus tam patriis quam extraneis sobrie utamur, easdemque iusto ordine statui reipublicae attemperemus.* Sed est adhuc praeter difficultatem alius morbus, quo iuris prudentia nostra afficitur, scilicet incertitudo. Oritur illa, aequae ac difficultas ex multitudine quodammodo legum, vnde, quae hucusque monui, huc etiam pertinent, praecipua autem huius incertitudinis causa est diuersitas iurium. Supra enim docui, iuris prudentiam Germanicam hodiernam variis exteris iuribus Romano scilicet, Canonico et Longobardico esse alteratam. Haec iura varia, vt in eorum fauorem supposuimus, suae cuique ciuitati erant accommodatissima. Dum vero scopus ciuitatum et rerum publicarum sit diuersus et certe apud Romanos, Clerum Romanum, Longobardos et Germanos erat diuersissimus et adhuc est: hinc ipsae istae leges diuersissimae vt sint, necesse est. Quum itaque in foris Germaniae auctoritatem habeant: accidit interdum et saepissime accidit, quando varia ista iura sibi sunt contraria, vt ignorent fora, iudices et causarum patroni quid iustum sit, quid non, vnde non nisi maxima necessario oritur iuris incertitudo. Hoc est alterum illud, quo iuris prudentia nostra laborat vitium, cui iuris periti pariter ac difficultati medicinam addere debent et quodammodo etiam possunt. Quum enim omnis iuris prudentiae incertitudo ex diuersitate potissimum legum oriatur, haec vero ex diuersitate rerum publicarum, quarum leges in Germania receptae sunt, originem habeat: quoniam meliori modo huic incertitudini obicem ponere queunt iuris periti, quam si cum iuris prudentiae studio arctissimo vinculo coniungant studium antiquitatum et historiarum eorum populorum, quorum iura in Germania recepta sunt? Vtrumque enim efficit, vt, postquam conditionem, scopum, et finem horum populorum mores et indolem ciuium probe cognouerimus, deinceps ipsas eorum leges plenius ac melius intelligamus, et exinde, si mo-

si mores, indolem, finem, scopum atque conditionem ciuium Germaniae, vbique ante oculos habeamus, iudicium ferre possimus certum et adaequatum, an illa vel illa lex Germaniae ciuibus eorumque actionibus commode applicari possit nec ne, vnde, quantum ego existimo, haec incertitudo iurisprudentiae magna certe ex parte, nisi etiam remoueri prorsus saltem tamen minui a iurisperitis potest. Pauca haec sunt, quae de ratione, qua difficultas et incertitudo iurisprudentiae nostrae quodammodo priuatorum consiliis remoueri possunt, disserui, nec instituti mei ratio hoc loco plura et forsitan etiam certiora addere permittit. Interim tamen spero, fore, vt etiam pauca haec, quae attuli, aliquantisper declarent, iurisprudentiae naevos non prorsus esse insanabiles, quamquam, quum nonnisi a priuatis aliqua emendatio expectari possit, facile credo, eorum tantum consiliis scientiam hanc nostram legitimam non prorsus erigi et in formam statui praesenti adaequatam plenissime redigi posse.

§. IO.

Quae sit ratio, qua hodie vt plurimum Iurisprudentia tractatur, et an iis, quae antecedente §. monui conformis sit, docetur.

Est igitur modus, quo iurisprudentia nostra, difficillima alias et incertissima disciplina, a iurisperitis facilior multo multoque certior reddi potest, si nimirum cum diuersis istis iuris ciuilibus speciebus ab iis, qui iurisprudentiae se consecrarunt, iurisprudentia naturalis cum doctrina morali et studium historiarum cum antiquitatibus arctissimo vinculo non coniungatur tantum, verum ipsi doctrinae iuris ciuilibus tanquam principium et fundamentum certissimum praemittatur. At enim vero tantum abest, vt iurisprudentiam nostram ciuilem cum iurisprudentia naturali coniungamus et hac ratione difficultatem iuris nostri magna certe ex parte remoueamus, tantum abest, vt incertitudinem iuris per studium historiarum et antiquitatum auferre quodammodo allaboremus; vt potius vt plurimum non tantum iurisprudentia vniuersalis, non tantum studium historiarum et antiquitatum, sed etiam vna cum his memoratis disciplinis haud exigua iuris ciuilibus et humani pars, qua tamen quotidie in foris vtimur, ius nimirum canonicum, clientelare Longobardicum et, quod omnium maxime mirandum, ipsum ius nostrum Germanicum et patrium, nisi prorsus in

Aca-

Academiis nostris a iuris cultoribus negligatur, a quamplurimis tamen fusque deque habeatur et omnis iurisprudencia hodierna in sola iuris romano iustiniani cognitione, neglectis fere omnibus reliquis iuris speciebus, ponatur. Merito miramur hanc iuris romani in nostris Academiis auctoritatem et quae sit illius causa, digna fortassis est quaestio, quae paullulum perpendatur. Prima, si quid ego video, huius peruersae consuetudinis causa sine dubio ipsa Academiarum Germanicarum est origo. Extra omnem enim controuersiam positum est, Academias in Germania nostra eo demum tempore fuisse conditas, quo ius romanum aequae ac canonicum iam altas apud nos egerat radices, et quum erigi coeperint, ad exemplar Italicarum et Gallicarum fuisse conditas. At enim vero Italiae pariter et Galliae Academiae non nisi iuris romani et canonici alebant doctores et professores. Hinc etiam in Germania nostrisque patriis Academiis, praefertim quum utrumque illud ius peregrinum magnae iam in foris nostris esset auctoritatis, non nisi iuris romani et canonici, neglecto profus iure patrio, constituti sunt professores, quin imo non nisi utriusque huius iuris peregrini Doctores in ipsa Germania nostra creati sunt, quamobrem duo haec iura peregrina prae reliquis in Academiis nostris excolebantur, docebantur, discebantur. Haec prima forsitan auctoritatis illius, quam duo haec peregrina iura in Germania nostrae Academiis habent, est causa, quam quidem neglectus iuris canonici hodiernus infringere videtur, re ipsa vero non infringit, quum neglectus illius causa non tam minor illa, quae olim iuri canonico prae Romano fuerit auctoritas, quam reformatio sit beati Lutheri, qua ius canonicum magnam auctoritatis partem, quam antea cum iure romano habebat aequalem, in Academiis Protestantium amisit. Succedit altera huius auctoritatis, quam ius romanum habet ratio. Confluunt in Academiis, et confluebant certe olim longe maiori numero, quo pauciores erant Academiae, iuuenes ex diuersissimis Germaniae provincis et locis oriundi. Horum magna pars iurisprudenciae operam dare cupit. Sed cuiam iurisprudenciae? Iuri forsitan patrio, utpote quod in foris magnam habet auctoritatem, in quo versamur quotidie, quod itaque Germano et causas oranti ignorare turpe est. At enim vero, quum iura germanica sint diuersissima, quum alibi haec, alibi aliae leges, ut plurimum non scriptae, valeant, caeque haud raro sint incertae et dubiae et incognitae, quales erant olim magis, quam hodie, quum iura germanica negligerentur profus et a nonnullis etiam dubitaretur, sit ius aliquod germanicum nec ne? nonne paene impossibile erat, ut iuris doctores leges has patrias provinciales et locales diuersissimas scire exacte et auditoribus suis expli-

explicare possent. Ne igitur iuris cultores omni doctrina et institutione desituerentur: doctores iuris in Academiis ab antiquissimis temporibus ius romanum tanquam subsidiarium interpretabantur. Hac igitur ratione denuo ius romanum in Academiis illiusque auctoritas mirum in modum augebatur. Duabus his, quae iuris romani in Academiis nostris auctoritatem promouerunt, tertiam adhuc addere liceat. Corpus iuris Romano Iustinianicum, quod procul dubio nemo negare potest, multa continet praeclare, egregie et excellenter dicta. Haec, ex quo iuris Iustinianei studium per Irnerium in Italia reuixerat, omnium animos, quos antea magna obnubilauerat barbaries, ita allicebant, ut hic liber pro elegantissimo et quasi de coelo delapso vbique haberetur, ut illius lectio omnibus quam maxime commendaretur, ut iurisprudencia illa pro perfectissima et digna haberetur, quae ab omnibus populis in vniuersum reciperetur, et Zonaras, quemadmodum me, vbi vero nescio legisse memini, nimis confidenter assereret, Deum elegisse Romanos, ut per eos iustitia sua orbi terrarum luceret et splenderet. Quae vero sunt ista tam praeclare tam eleganter dicta iuris Iustinianei capita? Nulla forte alia, quam fragmenta ista bene multa iurisprudentiae vniuersalis et aequitatis naturalis e philosophia Stoica per saepe, aequae saepe vero, si quid video, e Platonis etiam, Aristotelis interdum et Epicuri aliorumque forsitan philosophorum Graecorum praeceptis desunta et in vasso hoc volumine varie dispersa (*). Haec fortassis sunt causae, quae Iuri Romano Iustiniano in Academiis nostris tantam

(*) Ita de Ictorum veterum philosophia sentit Pagan. Gaudentius in libro elegantissimo de ortu et progressu philos. ap. Rom. cap. 43. pag. 106. sqq. quae sententia, quamquam hoc loco ob breuitatis studium, certi quid definire non possum, haud forte adeo falsa et iniqua est, quemadmodum quidem multis ICTis iisque praestantissimis videtur. Certe, quae pro philosophia veterum Ictorum Stoica adducuntur argumenta, nisi me omnia fallunt, tanta non sunt, quanti quidem venduntur. Vid. quae habet Illust. Godofr. Mascou. in annot. ad Ian. Vincent. Grauiinae Orig. Iuris pag. 45. n. 45. Interim haec de Ictorum veterum philosophia Stoica sententia, quae suo quidem vitio non profusus cornuit, tam generalis et vniuersalis vero non est, quam esse dicitur, nisi ab omnibus, certe a maximis ICTis et olim et hodie approbata et defensa est, qualis e. g. Magnus Cuiacius, Em. Merillius, Ioan. Schilterus, Christ. Thomafius, Iust. Henn. Boehmerus, etc. Inprimis Illust. Ioan. Gottl. Heineccius hanc sententiam adeo perditae amat, ut eam vbiuis fecum circumducat. Vid. Eius Elem. Iur. ciuil. secund. Ord. Inst. et π. item Antiquit. Iurid. Hist. Iuris passim, quo vero pretium horum viri huius incomparabilis librorum nequaquam vilescit

- - - Vbi (enim) plura nitent in carmine: non ego paucis
 Offendar maculis, quas aut incuria fudit
 Aut humana parum cauit natura - - Horat. de Art. Poet. v. 351. sq.

D

tam conciliarunt auctoritatem, ut ab antiquissimis temporibus maximo cura feruore et doceri et disci consueuerit, et ad hunc usque diem tanto ubique sit in pretio, ut relictis, aut susque deque habitis veteris iuribus naturali scilicet, canonico et, quod mireris, ipso etiam iure nostro patrio vel solum excolatur et discatur. Nimum vero hoc, quod iuri romano in Academiis nostris statuitur pretium, efficit, ut iuris cultores absoluto curriculo academico, dum ad munera publica adspirant partim ex ignorantia legum domesticarum, partim ex nimia iuris istius peregrini existimatione, hanc suam iuris romani theoriam in usum practicum vertant, suis principiis inhaereant patriasque leges hoc modo obscuriores reddant. Quod si vero nonnulli tanto praeiudicio non praepediti perspiciant, in praxi non ubique attendi iuris romani subtilitates, sed valere adhuc hodie multas consuetudines patrias et Germanicas, quid sit? Non sine maximo sui ipsius damno experiuntur hi viri, multum temporis et laboris se in Academiis discendo soli iure romano magna ex parte frustra impendisse, et de nouo quasi iurisprudentiae studium instituendum esse. Hoc uti haud raro accidit; ita hac ratione forsitan nimia iuris romani in Academiis nostris auctoritas facile posset labefieri, nisi romani iuris aestimatores, ut studium illius iuris sustineretur, iam olim omnem mouissent lapidem. Alii iuris peregrini romani cum Germanico conuenientiam et concordiam summam demonstrare allaborabant. Hoc vero diuersissima iura conciliandi studium, quo magis ardebat nonnullis, eo maiores produxit errores, e. g. conciliatores isti, superstitione iuris romani ueneratione fascinati, reipublicae Germanicae monarchicam adfluxerunt formam, Imperatoris potestatem mirifice extollentes et in absoluti imperii fastigium collocantes, e contrario vero statum superioritatem territorialem ad infimum gradum deprimentes, ipsos principes cum magistratibus romanis, alios et cum primis eos, qui iure gaudent de non appellando, Praefecto praetorio, alios cum Praefecto urbi, alios cum Praetoribus, leges eorum cum edictis Praetorum et legibus municipiorum ineptissime comparantes. Vid. Illust. Gribneri disert. de praeiudicio princip. Imper. ex abusu iuris Iustin. Haec, ut alia iam taceam, quum aperte falsa sint: diuersitatem iuris patrii a iure romano plenius multo multoque clarius demonstrarunt, quam tamen, nisi remouere, saltem obnubilare debuerunt. Alii igitur, ut iuri romano sua maneret vis et auctoritas, suus honor, alia incedebant via, et usum iuris romani in foris Germaniae ostendebant, qualem laborem inter alios suscepit Arthurus Duck in libro de usu et auctoritate iuris ciuiliis romani in dominiis principum christianorum, qui non in genere tantum, quae iuris ciuiliis fuit auctoritas, sed etiam, qualis eius adhuc hodie in diuersis Europae regnis

gnis et rebus publicis sit vsus docuit, licet maiorem nonnunquam iuri civili tribuat auctoritatem, quam hodie habet. Vid. Burch. Gotth. Struuii Biblioth. Iuris Select. cap. 8. §. 10. vbi adhuc plures reperiuntur auctores, qui de vsu iuris romani hodierno et in Germaniae foris commentati sunt. Succesit hic labor ex voto, vtque indies magis magisque iuris romani auctoritas stabiliretur: vbi mores Germanorum, iura nostra patria a iure romano nimium faciunt diuertium, differentiae istae iuris nostri Germanici iuri Iustiniano et π . in specie tanquam exceptiones hodie hinc inde subiiciuntur, ius vero ipsum romano Iustiniano fundamenti loco ponitur, non sine maxima iuris patrii ignominia, quum ius germanicum sit ordinarium et proinde fundamenti loco poni debeat, additis exceptionibus legibus romano Iustinianis, non nisi in subsidium, quod indubie constat, receptis. Sed hoc non obstante iuri romano prae germanico primus datur locus, et datus etiam est, quod mireris a Icto praestantissimo et nunquam sine encomio nominando Ioanne Schiltero in Praxi forensi siue Exercitationibus ad π . elegantissimis, multaque et varia eruditione refertis. Per tot itaque eruditorum conatus iuris romani in Academiis nostris auctoritas mirifice stabilita est, adeo, vt hodiernum istius iuri peregrino maximum vbi que statuatur pretium et reliquae iuris civilis priuati, quo in foris nostris quotidie vtimur species perfunctorie tantum tractentur, eae vero scientiae, quibus iuris nostri difficultas et incertitudo egregie remoueri possit, ius scilicet naturale et doctrina morum, studium historiarum et antiquitatum, nisi negligantur prorsus, a paucissimis tamen excolantur. Ex neglectu vero harum disciplinarum, et nimia illa et sola iuris romani auctoritate, iurisprudentiae nostrae conditio adhuc multo peior redditur, adeo, vt altera nimiae istius theoriae a praxi iuridica differentiae causa ista inadaequata dici mereatur iura in Academiis discendi ratio.

§. II.

Quod sola iuris Romano Iustiniani cultura nimiae istius inter theoriam et praxin iuridicam differentiae sit causa altera, probatur primo ideo, quod innumera in iure romano occurrant, quae in praxi nullius sunt vsus et auctoritatis.

Duplici, ni fallor, eoque satis manifesto argumento doceri potest, solum hoc et cum neglectu reliquarum iuris disciplinarum coniunctum studium iuris romani augere differentiam nimiam, quae intercedit inter theoriam et praxin iuridicam. Primo enim innumera in iure romano Iustiniano deprehenduntur, explicantur, discuntur capita, quae, si ad vsum eo-

rum practicum respiciamus, nullius paene sunt utilitatis et auctoritatis. De iure loquimur Romano Iustiniano, i. e. de praeceptis et legibus romanis positivis a Iustiniano collectis et approbatis, quae actiones subditorum dirigunt voluntarias. Igitur huc non pertinent, quemadmodum praecleara doctrinae praestantia demonstravit Vir Ill. Christ. Thomafius in diff. de rite formando statu controuersiae, an legum romanarum sit frequens, an exiguus vsus practicus in foris Germaniae. Vide Eiusd. Delineat. Histor. Iuris a §. 181. vsque ad finem, definitiones, axiomata moralia et politica, regulae interpretationis, decisiones casuum specialissimorum, rationes legum, quae omnia, quando in foris allegantur, si valeant, non ideo valent, quod dixerit Iustinianus, sed quod conueniant cum ratione hominis sana. Porro e legum romanarum numero eximendae hoc loco sunt leges istae bene multae naturales et iuris gentium, in corpore iuris Iustiniani hinc inde repetitae, quippe quae in Germania valerent, si etiam corpus iuris Iustiniani aut prorsus ignoraretur, aut leges istas connatas in se non contineret. Sermo igitur hoc loco nobis tantum est de iure romano Iustiniano in specie sic dicto. Huius iuris innumera paene capita sunt, quae in foris Germaniae nostrae, non in vno aut altero foro in specie, omni destituntur auctoritate et vsu eoque practico, non theoretico, quem iuri romano non denegamus. His itaque praesuppositis, vt eo certius constet veritas adfertur mei, pauca tantum eaque in compendio proponam capita iuris romani, quae in foris nostris aut nullum aut satis tamen restrictum habent vsum practicum. Proponam hoc loco ea tantum, quae in tota Germania nostra nunquam sunt recepta, relictis iis, quae in vna tantum aut altera prouincia et loco nullum praestant vsum, quum partim me prohibeat instituti ratio ea omnia prolixa oratione persequi, partim etiam hic labor tantis obnoxius sit difficultatibus, quas, ne nimis arroganter de me sentire videar, ego superare haud facile possum. Quod itaque ius personarum attinet, quot et quanta sunt huius primae Institutionum Iustinianearum partis capita, quae a moribus Germanorum sunt diuersissima, et hodie in foris nostris nullum prorsus habent vsum practicum. Quae enim de prima hominum diuisione de liberis hominibus et seruis, de vtriusque iuribus et conditione, de manumissione seruorum, de iis, qui et ex quibus causis manumittere non possunt, de lege Fufia Caninia tollenda constituuntur, haec omnia hodie extra omnem sunt vsum practicum. Non ignorant Germaniae mores diuisionem hominum in liberos et seruos, vid. Christ. Thomasi Dissert. de hominibus propriis et liberis Germanorum, nec ignota est manumissio hominum propriorum vel seruorum, quae olim erat triplex potissimum scilicet aut secundum legem Salicam, quo modo qui erant manumissi, dicebantur

Dena-

Denariales, aut secundum legem Romanam, nisi potius Pontificiam, quales serui manumissi dicebantur Tabularii, aut demum, qui modus hodie vel solus adhuc in usu est, reliquis antiquatis, per chartam siue epistolam, quae dicitur *ein Saßbrief*, et serui hac charta manumissi liberti cerarii, vid. Pottgiseri praeslantissimum opus de statu seruorum lib. 4. cap. 3. 4. 6. At enim vero seruitus haec Germanorum, quae iuris gentium est, a seruitute romana, quae prorsus erat singularis, quam maxime est diuersa, vnde etiam quae constituuntur in iure romano de hac seruitute romana, ad nostros seruos vel homines proprios applicari nequeunt. Vid. Christ. Thomasi differt. de usu practico distinctionis hominum in liberos et seruos. Item Eiusd. Differt. de usu practico de Impedimentis manumissionis. A prima hac hominum diuisione ad alteram accedit Imperator Iustinianus, secundum quam homines sunt vel sui vel alieni iuris, qua occasione de patria potestate et de modis quibus ea acquiritur pariter ac soluitur agit. Ipsam patriam potestatem quod attinet, de ea ipse profitetur sacratissimus Imperator §. 2. I. de patr. potest: *Ius autem potestatis, quod in liberos habemus, proprium est ciuium Romanorum. Nulli enim alii sunt homines, qui talem in liberos habent potestatem, qualem nos habemus.* Haec ipsius Iustiniani verba satis declarant, quod leges de hac patria potestate romanae in Germania nostra, vbi patria potestas non alia est, quam quae ex iure naturae et gentium proficiscitur, nullius paene sint, aut saltem admodum restricti vsus practici et auctoritatis. Haec patria potestas acquirebatur apud Romanos per iustas nuptias, legitimationem et adoptionem, hinc a Iustiniano doctrinae de patria potestate subnectitur illa de iustis nuptiis et cet. vbi denuo varia deprehenduntur, quae scholae potius, quam vitae discimus. Quod enim nuptias omnesque doctrinas, quae huc faciunt, attinet: sequimur hodie respectu consanguinitatis et adfinitatis ius diuinum posituum et canonicum praecipue Romano catholici, in doctrina de ritu nuptiarum, post ordinationes ecclesiasticas, apud Protestantes obseruatur ius potius Canonicum quam ciuile, intuitu dotis et quae huc faciunt, praeualet ius Germanicum iuri romano, id quod docuit praeter Illust. de Ludevig in differt. de differentiis Iuris R. et G. in dote et donatione propter nuptias, Ioach. Gotth. Sparmann in differt. duabus de praerogatiua iuris Germanici prae iure romano in materia pactorum dotalium. Succedit legitimitas, quae vero tanquam modus acquirendi patriam potestatem hodie extra omnem paene est usum. Quando enim ista nostri temporibus per rescriptum principis impetratur, oblatio curiae diu obsoleuit, non patri potestatem patriam, sed potissimum legitimitas ius tribuit ad honores, officia et in genere ad honestum vitae genus adspirandi. Hinc nostra legitimitas

a romana quam maxime est diuersa, id quod prae reliquis Incomparabilis, dum uiueret Witebergenf. Ictus Georg. Beierus demonstrauit in progr. de usu iuris romani in causis ius person. in Germ. concernent. addito Delineat. Iur. Germanici ab Eod. viro celeb. composito. Quod tandem adoptiones attinet, eae hodie in Germania rarissimae sunt, et quod adoptionem simplicem, quae arrogationi opponitur in specie concernit: ea prorsus extra omnem esse videtur usum. Praeterquam enim, quod nullus forte de ea exstet exemplum, rationes etiam, ob quas olim celebrabatur, hodie deficiunt. Vid. Christ. Thomasi dissert. de usu practico tituli Inst. de adoptionibus. Subnectitur his doctrinis titulus de modis, quibus ius patriae potestatis soluitur. Primarii modi, qui hoc loco attendi merentur, sunt emancipatio et capitis deminutio. *Haec autem*, quemadmodum testatur Illustr. Heineccius in Elem. Iur. Ciuil. secund. Ord. Inst. §. 199. *paene ignota est, emancipatio vetus et Anastasiana dudum exoleuit, Iustiniana non quidem extra usum, vel ideo tamen paullo rarior est, quia plerisque in locis per nuptias separatamque oeconomiam e patria potestate exeunt liberi saluis et intactis familiae iuribus.* Vid. Christ. Thomasi Dissert. de quasi emancip. German. A patria potestate progreditur Iustinianus ad homines sui iuris, qui sunt iure romano vel in tutela, vel in curatione, vel denique neutro iure tenentur. Vbi primo animaduertendum est, quod, quae iure romano de diuersitate tutorum et curatorum, pubertatis et inpubertatis constituuntur, hodie omni paene destituuntur usu et auctoritate, quum Germani nostri intuitu discriminis inter tutorem et curatorem adeo subtile quam Romani non philosophentur. Vid. Illustr. Carol. Guiliel. Gaertneri Dissert. Lips. 1732. habit: qua ostendit Iura Germanica inter inpuberes et minoremnes, tutores et curatores nullum obseruare discrimen, cui iungi potest Georg. Beieri Diss. de differentia hodierna tutorum et curatorum. Deinde quanquam et hodie tutores diuidi possunt in testamentarios, legitimos et datiuos: intuitu confirmationis hodie tamen non attenditur ad hanc diuisionem, quum hodie in vniuersum omnes tutores ob R. I. d. Anno 1577. tit. 32. confirmandi sint, et ex confirmatione auctoritatem habeant suam. Porro etiam respectu tutelae dativae mores nostri a legibus romanis varie recedunt. Primo enim tutoris datio hodie ad ordinariam, non vti apud Romanos ad extraordinariam pertinet iurisdictionem, deinde haec tutela dativa etiam non tunc tantum, quando deficiunt tutores testamentarii et legitimi locum habet, sed magistratus nostri habent auctoritatem, tutores testamentarios et legitimos, si e re pupilli videatur, praetereundi, aliosque magis idoneos constituendi. Reliquas doctrinas de auctoritate, satisfactione et excusatione tutorum, item de suspectis tutoribus, vbi multa omnino sunt, quae hodie negli-

negliguntur, quum ex his, quae attuli, iam satis constet, quam diuersi sint Germanorum mores a moribus romanis intuitu tutelae, et quam multa e doctrina de tutelis hodie nullum praesent usum practicum, hoc loco intactas relinquo. Ius personarum, de quo huc vsque satis, excipit ius rerum, quod bifariam diuiditur in ius in re scilicet, et in ius ad rem. Varia vtriusque huius iuris sunt capita, quae hodie auctoritate destituuntur sua, tot vero et tanta non sunt, quot et quanta e iure personarum allegaui. Deinde mores Germaniae hodierni intuitu iuris rerum admodum variant, dum hoc loco constitutiones et leges romanae in totum aut maxima tamen ex parte retinentur, alibi vero iura haec romana per iura patria varie mutantur. Igitur quum hoc loco non nisi ea recensere liceat, quae, nisi in tota Germania, saltim vero in maxima Germaniae parte vsu et auctoritate destituuntur: pauca tantum capita e iure rerum allegabo. Quae igitur statim ab initio libri secundi Inst. de diuisione rerum constituuntur, maxima ex parte extruuntur. Circa modos acquirendi rerum dominium naturales originarios, occupationem scilicet et accessionem, varia annotanda sunt, quae nullius sunt auctoritatis. Venatio enim, prima species occupationis, plerumque ad solos pertinet principes, eosque quibus illa vel in feudum data, vel privilegio concessa est. Intuitu captiuitatis obseruandum est, quod hodie militibus conductitiis raro pars praedae concedatur, conceditur tamen saepius iis, qui sponte castra sequuntur, vt praedatum exeant. Quod inuentionem denique, tertiam occupationis speciem, attinet: non ignotum est, res in littore maris inuentas, vt plurimum multis in locis sibi vindicare fiscum. Vid. Heineccii Inst. §. 353. Pariter etiam quae de accessione constituuntur in iure romano, non vbique eodem modo in Germania seruantur. Insulae e. g. hodie sunt eiusdem, cuius est flumen, adeoque eas sibi vindicat vel princeps vel respublica. Idem alicubi circa alluionem et alueum derelictum contingit, vt monuit Ill. Heineccius c. l. §. 360. Ad modos acquirendi rerum dominium eosque ciuiles pertinet hereditas, quae defertur secundum leges romanas vel per testamentum, vel ab intestato. Testamenta quod attinet; ea antiquis Germanis fuisse incognita, constat ex Tacito de morib. Germ. cap. 20. ex quo vero ius Romanum atque Canonicum in Germania fuit receptum: etiam testamentorum vsus simul innotuit, ita tamen, vt non vbique iuris ciuili romani subtilitates obseruentur, aut vbi etiam obseruantur, per clausulam illam codicillarem maxima tamen ex parte a testatoribus eludantur. Ius ad rem incipit cum doctrina de obligationibus et pactis, quae iure romano multis obuoluta erant tricis, quibus hodie caremus. Apud Romanos enim teste Georg. Beyer: in delineat. Iuris Ciu. sec. Ord. 77. ad tit. de pactis regula erat, *Nullum pactum, et vt seruum, producit actio.*

actionem, nisi 1. tempore primae conventionis receptum, 2. vel postea speciali lege confirmatum, 3. vel si reciprocum sit, acceptione implementi corroboratum, 4. vel contractui in continenti adiectum, 5. vel post tempus aliquod repetitum sit. Prioris exempla erant contractus nominati; secundi, pacta legitima; tertii, contractus innominati; quarti, pacta adiecta; quinti constitutum. Reliqua dicebantur nuda, et exceptionem quidem, non vero actionem producebant. At hodie recepimus regulam iuris gentium, omnia pacta deliberata, quae ex iusta causa incuntur et pro obiecto habent rem licitam, producunt actionem, quae vocatur *condictio ex moribus*. Unde omnes has tricas tuto abiiicimus. E contractibus ipsis, qui sequuntur doctrinam generalem de obligationibus et pactis, prae reliquis annotari meretur stipulatio, quae, qualis fuit apud Romanos, hodie extra omnem est usum practicum, quum hae subtilitates iuris romani nunquam fuerint in Germania receptae. Transeo ad tertiam Institutionum Iustinianearum partem, quae agit de actionibus et iure actionum, ubi quam plurima, quae de iurisdictione, iudicii, causis, quae in iudiciis tractantur, siue actionibus, et de modo procedendi constituntur hodie et in foris nostris nullum paene habent usum practicum. Nihilo secius tamen haec omnia, quae hucusque attuli, vt reliqua specialiora taceam, docentur quotidie, explicantur, discuntur. Nonne igitur innumera discuntur scholae tantum, non vitae, innumera, quae, si ad fora respiciamus, non obseruantur, negliguntur, ideoque nullum praestant usum practicum.

§. 12.

*Innumerae praeterea in foris quotidie occurrunt
materiae et quaestiones, quae ignorat ius romanum adeoque
negliguntur in doctrina iuris romani.*

Haec omnia autem tolerabilia essent, si cum his doctrinis iuris romani, quae hodie extra omnem sunt usum practicum, nihilo minus tamen, quum ad explicationem et meliorem interpretationem reliquarum huius iuris doctrinarum mirum quantum faciant, a nemini negligi et ignorari possunt ac debent, ea iuris hodierni capita coniungerentur, quae hodie quotidie in foris nostris occurrunt. At enim vero negliguntur vt plurimum reliquae iuris hodierni priuati species, negligitur a quam plurimis ius canonicum, quod tamen etiam apud Protestantes in ecclesiasticis et matrimonialibus rebus, in doctrina de iuramentis, de vsuris, de praescriptione, in processualibus magna adhuc hodie est in auctoritate, negligitur ius clientelare Longobardicum, quum tamen illud aequae ac Romanum in subsidium sit receptum, et ex illo, si domesticae deficiant consuetudines et leges feudales, quamplurimae lites feudales

dales decidantur et componantur. Negligitur in primis ius nostrum Germanicum, quum tamen in foris quotidie innumerae occurrant, quaestiones, quae non nisi ex moribus patrii explicari atque componi possunt. Scio equidem et supra monui, quod hodie vt plurimum praestantiores iuris Germanici doctrinae, quae a iure romano nimium faciunt diuortium, huic peregrino iuri tanquam exceptiones soleant subiungi. Sed haec tantum paucissima et notabiliora sunt capita, reliqua praetereuntur vt plurimum et negliguntur idque non sine maximo iurisprudentiae Germanicae damno. Iuris enim cultores, quando sibi pauca haec iurisprudentiae patriae capita, quae π . tanquam exceptiones annectuntur, cognita reddiderunt: primo de iure nostro patrio non admodum honorifice sentire discunt, quum necesse est, si vltra π . non sapiunt, vt credant, ius nostrum patrium esse adeo dissonum, mutilum et mancum, vt nullo prorsus compendio aut systemate possit comprehendi, deinde existimant vt plurimum, praeter pauca haec, quae π . annectuntur, nullas esse alias doctrinas iuris Germanici cognitatas aut in vsu, sed potius ius Romanum in omnibus suis reliquis capitibus esse receptum, quem errorem satis communem non prius perspiciunt et derelinquunt, quam dum in forum veniunt, et experientia docti agnoscunt, esse adhuc multa, quae ignorant et de quibus silent Digesta Iustiniana. Quenam vero sunt ista? Proponam, quemadmodum ea recensuit Ictus praestantissimus Georg. Beyerus in progr. de utilitate lectionum Academicarum in iuris germanici capita, praemisso Delin. Eiusd. Viri iuriconsultissimi Iuris Germanici, vbi etiam, si cum hac delineatione coniungamus Eiusd. Delineat. Iuris criminalis, prolixior harum doctrinarum deprehenditur explicatio. *Tentabo, inquit Vir ille vere magnus l. c. ea iuris Germanici capita, quae, quod non adeo iuri romano ad finia sint, in Academicis vix docentur, in foro tamen quotidie vertuntur, aut certe aliis iuris materiis inde propullantibus recte cognoscendis lucem foenerantur, ad fundamenta genuina reuocare, nouas inde conclusiones elicere, dissensiones et dubia quibus interpretis non nunquam inuoluuntur, expedire.* Quibus verbis paucis interiectis subiungit catalogum harum iuris Germanici doctrinarum, quem in compendio proponam ipsis, quantum fieri potest verbis beati Auctoris. Quod itaque ius personarum attinet: obseruanda est *diuisio hominum in nobiles, ciues siue burgenfes et rusticos. Quantum ad illos: occurrit diuisio in Schriftsassis et Ambtsassis, (eaque occasione naturae praesecturarum der Zentler) indoles iuris dictionis patrimonialis, quae priscis temporibus non nisi domestica, sed latissime extensa in seruos potestas erat, iura natalium die Ahnen, iura chypeorum et vexillorum, differentia equitum religiosorum et secularium, ministeria et officia nobilium propria et cet. Circa ciues vel burgenfes obseruandae sunt doctrinae de armorum vsu ipsis permissio, sed valde restricto, de statu et iure opificum, de inuestitura allodialium,*

lium, de iure germani, stapulae, braxandi, de hospitii publicis, Weichbildis, pacoburgensi, censu emigrationis, iure detractionis, et id genus alia. Quoad rusticos occurrunt doctrinae de iure praediorum censiticorum varii generis, a bonis emphyteuticis et censu romano toto coelo discrepantium, de operis rusticorum defuitis et indefuitis, de laudemio, de domino ad successionem rusticorum concurrente, aliis que pluribus. Caeterum et aliae iuris personarum partes obseruandae sunt, e.g. de necessaria et tacita Germanorum emancipatione, de usu fructu matri et tutoribus competente, de tutela maritali, de cura absentis et s.p. Tractatio de iure rerum sistit iura venandi, foresti, metalli fodinarum, salinarum, ius acquirendi ex naufragio das **Strandrecht**, regulam iuris Germanici **Zand muß Zand wahs ren** et s.p. scotationem, effestucationem, resignationem dominii iudicialem, **Lehns Auflassung**, usum fructum gentium Germanicarum seu dominium utile, pacta successoria et restrictionem facultatis testandi, res expeditorias, vensilia, morgengabam, cibaria, dotalitium, cambium, obstagium, guarentigium, adsecurationem et cet. ex materia delictorum, pignorationes, palinodiam, violationem pacis publicae, municipalis et domesticae, repressalias, dissidationes, **bannum Acht und Oberacht**, restrictionem promiscuae accusandi facultatis eamque ob causam institutos procuratores fisci et delatores, inquisitionem eiusque singularia, effectum deprehensionis in facinore, nec non procrastinationis iudicii criminalis **von handhafter und libernächtiger That**, clamorem violentiae **Zetergeschrey**, et reliqua sollemnia iudicii criminalis capitalis, **Zegung des hochnothpeinlichen Zalegerichtes**, mercedem executionis criminalis **vom Zentergelde**, mitigationem et remissionem poenarum magistratui inferiori competentem, ius centae, **ergasteriorum** et cet. Denique occasione iudiciorum obseruandae sunt doctrinae de hodierna iuris dictione superioris et inferioris differentia, de iure fisci, quod magistratibus iuris dictione superiore gaudentibus tribuitur, de inhibitionibus poenaliibus, de arrestis, de iudicio summario pro extraneis, vulgo **vom Gastrechte**, de **guaranda**, de die Saxonico, Sueuico et Longobar dico et sic porro. Totigitur sunt quaestiones atque materiae, quemadmodum eas hucusque ex laudati Beyeris supra allegato progr. proposui, quae quotidie paene in foris nostris occurrunt, de quibus silent iura Iustiniana, et quae, nisi etiam in vniuersum omnes, maxima tamen ex parte a commentatoribus in *77*. nec inique, praetereunt et negliguntur. Quid igitur ex sola hac iuris romani aestimatione, ex neglectu reliquarum iuris priuati specierum praepriis iuris Germanici aliud euenire potest, quam nimia theoriae a praxi iuridica differentia?

§. 13.

Conclusio.

Quae quum ita sint, quum tot et tantae in foris nostris quotidie occurrant

currant quaestiones et materiae, quarum in doctrina iuris civilis romani nulla fit mentio, quum teste Pomponio l. 2. D. de orig. Iur. §. 43. turpe sit Iurisconsulto et causas oranti, ius, in quo versatur ignorare; nonne exinde patet, quod solum ius romanum ad lites et quaestiones, in praxi quotidie occurrentes, decidendas componendasque longe sit insufficientis, et quod dum iura romana nocturna diurnaue manu excolimus, reliquae iuris species ideo non sint negligendae. Arctissimo itaque vinculo, cum iure romano coniungendum est ius nostrum Germanicum, quod hodie tantis difficultatibus non est obnoxium, quantis olim erat, priusquam scilicet ICI praestantissimi Ioannes Schilterus, Hertius, Thomafius, Ludeuigius, Gundlingius, Hoffmannus, Beyerus, Heineccius, Pottgieslerus, Cramerus aliique in erigenda restituendaque iurisprudencia patria se praestiterunt heroes. Excolendum est ius canonicum et feudale Longobardicum, quum vtrumque aequae ac romanum in Germania nostra sit receptum, illudque etiam apud Protestantes diuersis in materiis, quas supra allegaui, non exiguam habeat auctoritatem, hoc vero, si deficiant mores feudales patrii in subsidium adhibeatur, consulatur ex eoque quaestiones feudales quamplurimae decidentur. Praeterea vero in mentem omnino reuocandum est, quantis difficultatibus diuersae hae iuris priuati species sint obnoxiae. Quumque eae ex iure naturali connato et doctrina morali, ex studio historiarum et antiquitatum, mirum quantum possint dilui et maxima ex parte remoueri: itaque memoratae hae disciplinae, cum iure hodierno priuato arctissime coniungendae sunt, quin immo ipsi iuri civili priuato praemitendae sunt tanquam principium et fundamentum. Antequam itaque ad ipsam iuris civilis tractationem progredimur: iuris naturae et doctrinae moralis principia exacte cognoscenda sunt, deinceps specierum iuris in Germania nostra vltati comparanda est solida notitia historica, quapropter studium historiae iuris et antiquitatum probe non perfunctorie excolendum est. Sunt quidem istae disciplinae quamplurimis ignobile *παροργον* et ignobilius *εργον*, ipsique cultores harum deliciarum interdum acerbissimis subiecti sunt censuris eorum, qui non tam quod ingenium, quam quod ventrem pascit, appetunt atque, quod Historiarum et antiquitatum studium directo et palpabiliter ad lucrandum panem faciat, harum doctrinarum fingunt non vsum. Sed horum conuicia iam profligauit Kulpifius in Dissert. epistol. de Germ. leg. vet. ac Rom. Iur. in republ. nostr. orig. et auctoritat. praesent. §. 57. vbi, *seponamus*, inquit *Barbosam et similes brocardicorum collectores, ceterum laude sua non fraudandos, et euoluamus curatus gentis suae quisque historias ac huius generis monumenta reliqua priuata, publica, vetusta, noua, edita, inedita, quantum cuique licet, vt iudicium*

cium super examinandis eiusmodi institutis rectius instruere discamus. Nec est, quod putemus, elegantem quidem, sed non de pane lucrando esse hunc laborem. Sint eius utilitates non tam praesentes, ac illius studii, quo clientibus praesertim ditioribus, prolixas chartas, quisquiliis talium allegationum illinitas, saepe quae piper amiciant, ne quid grauius dicam, dignas, ad mensuram vendimus; at sunt tamen illae certiores diuturnioresque et posteritati, cuius curam utique habere debemus, longe utiliores. Neque etiam iurisprudentiam inter mercenarias artes, aut modos compilandi pecunias numerandam puto, multo minus iustitiam ita, immo rempublicam quaesui habendam, a quo sapientiores etiam gentiles abhorruisse nouimus. Manet igitur historiae obiciant alii: hae disciplinae, si felices in iure nostro progressus facere velimus, tanquam fundamentum et medium, quo difficultati et incertitudini iuris, quam maxime obicem ponere possumus, ipsi iuris civilis tractationi praemittendae sunt. Quod posteaquam factum; tunc ad ipsam iuris civilis doctrinam progrediendum est, et quum varia omnino diuersaque sint iura, quae in Germania auctoritatem habent, quoduis etiam propriis suis et domesticis principiis innitatur: ordine omnino procedendum et vnus cuiusque iuris principia singulatim excolenda sunt, antequam ea in vno volumine et systemate comprehensa discere velimus. Et quamquam vnaquaeque iuris disciplina et species hodie in systema quoddam et compendium est redactum, ex iisque vtplurimum iura civilia discuntur, quemadmodum ad ductum eorum docentur ac explicantur a doctoribus: his compendiis et systematibus tamen non semper et solum inhaerendum est, sed ipsae leges earumque collectiones aduendae et euoluendae sunt sedulo, quum plus, fundamentis rite positis, ex ipsis legibus, quam doctorum commentariis discamus. Hac ratione, qui studium iuris adgressus est, eique per aliquot annos operam dedit strenue, is, postquam modus procedendi probe est perspectus, ad applicationem et praxin descendat. Non tantam certe deprehendet inter theoriam et praxin diuersitatem, qui hoc modo praeparatus ad praxin accedit, quam, qui relictis et fusque deque habitis omnibus aliis disciplinis, solum iuri romano Iustiniano operam nauauit. Et, si quae etiam adhuc sint in praxi, a quibus diuersa est theoria, qualia, quod sint, non prorsus inficiis eo: haec omnia tamen ei, qui iusto ordine subsidiisque omnibus adhibitis in iurisprudentiam incubuit, tanta non sunt, vt, quum in forum venerit, putet se in alium terrarum orbem delatum.



ULB Halle
007 231 962

3



W 18





Vol. 18. n. 56.

3452
17507

1747, 18.

DISSERTATIO INAUGURALIS
IVRIDICA
DE THEORIAE
ET
PRAXIS IVRIDICAE
DISCORDIA

QVAM
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM
ORDINIS AVCTORITATE
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
OBTINENDIS

LIPSIAE D. XXXI. AVG. A. C. N. CIDIIDCCXXXVII.

ERVDITORVM EXAMINI

SVMITTIT

M. MARTINVS GOTTLIEB PAVLI

LAVB. LVSAT.

LIPSIAE

EXCVDEBAT I. G. I. BREITKOPF.

